Wymond Magdalen Mus.
Liber Thomæ Mawdesley
Extra collegium non est salus

TRACTATIO

DE SACRAMENTO EVcharistiæ, habita in celeberrima vniuersitate OXONIENSI in Anglia, per D. PETRVM MARTYREM VERMILIVM FLORENtinum, Regium ibidem Theologiæ professorem, cum iam absoluisset interpretationem .11. capitis prioris epistolæ D. Pauli Apostoli ad Corinthios.

AD HEC.

Disputatio de eodē

EVCHARISTIAE SAcramento, in eadem Vniuersitate habita per eundem D.P.MAR.

ANNO DOMINI M.D.XLIX.

Georg. Oxon. I

Londini, ad æneum serpentem.

Tho: Baker Coll: Jo: Socius ejectus.

Donum
Amicissimi Viri Th: Williams S.T.P.

Arch Bodl. A.
II. 19.

TRACTATIO
DE SACRAMENTO

Rmo. Domino, D. Thomæ Cranmero Archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Angliæ Primati, Domino ſuo cõlendiſſimo,

P. MARTYR Vermilius Florentinus, Theologiæ profeſſor. S. D.



CONSVEVERVNT ornatiſſime Antiſtes, more publico et uetuſtiſſimo, qui libros ædũt, ſibi deligere principes in Repub. uiros, quorum auguſto celebriq; nomini eos inſcribãt, atq; ex ea re, cõmodum uarium, multiplicemq; fructũ capiunt Primũ aduerſus calumniatores et ſycophãtas, firmũ ualidumq; defenſorem (ut arbitrantur) ſibi comparant: Deinde cum ab eius ordinis uiris beneficia plura in ſe collata recolant, hoc officij genere (cum aliter non poſſint) declarare conantur, quam gratum & memorem animum erga illos habeãt. Solent præterea in Epiſtola, quam nuncupatoriam uocant, non ſolum patronum ſui libri cumulatiſſimis laudibus celebrare, uerum etiam quod tractandum ſuſceperunt argumentũ, pro uiribus ornãt, eius dignitatem, utilitatemq; luculenter exponunt. Nec non quædam inſerunt, quæ ad id elucidandum atq; commendandum plurimum ualere iudicauerunt, quo à cupidis bonarum doctrinarum auidius legatur, & rudiores, quod eſt dicendum, facilius intelligant. Poſſunt ad hæc (fateor) qui æduntur libri, magnatibus illuſtribusq; uiris ob alias complures cauſas dedicari, ſed honeſtiores ego recenſui, et quibus ipſe permoueri debui, ut Reuerendiſſimæ amplitudini tuæ, meum hunc librum, qualis qualis eſt, offerrem. Quem enim potuiſſem alium abs te, mihi deligere propugnatorem ueritatis Euangelicæ, et huius Euchariſtici ſacramẽti, qui te ſanctior, doctior, et firmior eſſet? certe neminem Nam in patrono alicuius cauſæ, id cum primis requiritur, ut eam quã defendẽdam ſuſcepit, et bene perceptam, et ſingulariter exploratam habeat. Quomodo alioquin id quiſpiam tueatur

tur, quod minime intelligit? Deinde ars, industria, et ratio agendi exigitur, sine quibus, interdum uel optimis causis cadere solemus. Tãdem res postulat, ut patronus et summam fidem, et egregiam uoluntatem habeat erga ea, pro quorum defensione ad illum confugitur. Quandoquidem id nunquã fœliciter perficimus, quod uel inuito, uel parum propenso animo aggredimur. At controuersiæ huius tantam peritiã habere Tuam celsitudinem, certo scio, quantam in ullo alio difficile quis reperiat. Nullus profecto est ex patribus, quem non diligentissime obseruarus. Neq; ueterum aut recẽtiorum libri ulli extant, in quibus ego hisce oculis nõ uiderim tua ipsius manu adnotatum, quicquid ad uniuersam hanc disputationem pertinet. Concilia, canones, pontificum decreta, quæ huc spectant, ipse tanto labore, quo ad hanc tractationem, in præcipua capita digessisti, ut hæc nisi testis oculatus deprehendissem, nunquam alijs narrantibus facile fuissem crediturus. Neq; huius generis operam, studium, laboremq;, solum in hoc Eucharistico negotio impendisti, verum idem quoq; abs te factum obseruaui, quo ad omnia ferè alia dogmata, quæ nostra hac ætate maxime sunt in controuersia. Quamobrem non opus fuit, ut meum hunc libellum eo consilio tibi exhiberem, ut ex eo aliquid noui cognosceres, (cum ego potius maiorem doctrinæ partem ex tuis laboribus hauserim) sed tantum ob id ad Tuam celsitudinem hoc meum scriptum destinaui, quo tua censura (cum iure & merito sis Primas totius Angliæ) de illo statueres, notaresq;, in eo, quicquid à recto & orthodoxo sensu uisum fuerit dissentire: Vtq; authoritate tua (quæ ueluti est, ita summo loco haberi debet) ea protegeres, tuereris, atq; defenderes, quæ iudicaueris diuinis litteris consona, et cum Regiæ Maiestatis edictis pulchre conuenire. Taceo præterea multa, propter quæ in ista causa, non minori (quam tuum sit) patrocinio mihi opus fuerit. Negotium itaq; (ut dixi) probe tenes. Ars etiam, ratio & industria tuendi quæ amplecteris, nequaquam tuam celsitudinem deficit. Quod inde possumus edoceri, quia sæpius cũ aduersarijs et publice et priuatim es conflictatus, et mira ui doctrinæ, ingenij acrimonia, et agendi dexteritate, quæ uera esse cognouerat, à sophistarum spinosis et intricatis cauillis, asseruisti. Quam uero non desit uoluntas, imo præsentissimum animum habeas ad tuenda sana & christiana dogmata, omnes pij satis intelligunt, qui tanto studio religionis instaurandæ te

flagra-

flagrare uiderunt, ut hac una de causa grauissimas inimicitias susce-
peris, multa commoda huius uitæ neglexeris, & horribilia pericula
subieris. Equidem dum hæc mecum repeterem, meq; uiderem opera
fortissimi alicuius ὑπερασπιστοῦ egere, ad tui neminis authoritatem
confugi, sub qua protegerer ab his, qui nullum uidentur finem fa-
cturi, detrahendi, lacerandi, et nomen meum ubiq; meo lacis impu-
dentissimis traducendi. Nunquam ego existimassem fore aliquos, nisi
reipsa deprehendissem, qui tam subdolis astutijs, fraudulentis artibus,
& amaris flagellis in hominem seuirent atq; grassarentur, nihil ma-
li de se unquam meritum, quiq; dicto uel facto læserit eorum neminẽ.
Sed caueat sibi lingua istorum maledica, quoniam aduersus eam (ut
in psalmo legitur) paratæ habẽtur sagittæ potentis, et quidẽ acutissi-
mæ, una cum cæ bonibus ex incenso iunipero. Vt enim uirulenta lin-
gua innoxios acerbe flagellat, sic illa diuini iuditij spiculis tandem
perfodietur & lacerabitur. Vtq; omnia dolosis uerbis inflammare ac
incendere conatur, ita flammis æternis demum comburetur. Habes
iam amplissime Præsul, quid me primum permouerit, ut hoc meũ te-
nuiæ scriptum Celsitudini tuæ inscribere decreuerim. Quare nunc al-
teram causam huius mei consilij prodam, qua, ut alij (ueluti ab initio
dixeram) inducti sunt, ut suos libros eximijs uiris dedicarent, ita ego
sum persuasus, ut meum hunc laborem tibi offerrem. Ea uero est be-
nignitas tua et humanitas, merita & beneficia quibus me affeceris,
pro quibus si velim iuste gratias agere, eaq; ut merentur ornare, &
mihi nil præterea dicendum erit, et quantumuis ista prædicauero, ma-
gnitudine rei semper uincetur oratio. Idcirco de his potius nihil, quã
indigne ac tenuiter dicere, statui. Notum est iam omnibus, non solum
me, uerum permultos alios mei ordinis peregrinos, quam humaniter
exceperis, & exceptos quã benigne tractaueris, ideo hæc, ut probe
cognita, ulterius prosequi desino. De tua item pietate, prudentia, fide,
summisq; uirtutibus, optime intelligo nõ expectari ab hoc regno meũ
testimonium, cum sint omnibus testatissimæ. Plato de Isocrate dixit,
ὑπὸ φύσιν τοῦδε τοῦ ἀνδρὸς τῇ διανοίᾳ φιλοσοφίᾳ τὸς πάρεσι.
Iudicauit itaq; Isocrati philosophiam (quæ doctrina et studio acquiri
solet) ex natura prouenisse Ego uero Celsitudinem tuam, & gratia
& fauore Christi adeo ornatam animaducerti, ut licet omnes natura

simus

simus filij iræ, sicut cæteri, tibi nihilominus pietas, theologia, cæteræq; uirtutes connatæ insitæq; naturaliter uideri possint, adeo altas in tuo animo radices egerunt. Quare optaui sæpius, & mihi à Deo pro magno beneficio dari uelim, vt quãtũ teneor, tantũ erga Tuã celsitudinẽ gratum animũ habeã, & ad tuas uirtutes (quas ut dona Dei in te admiror) ualeam quã proxime accedere. De his non plura, quanquam & uoluptas hinc molestè aucllatur, et rei dignitas maxima ui, stilum ad se reuocet. Sed auribus tuis potius parcendum est, quam his obsequẽdum, a quibus penè cogor diutius tuas laudes celebrare. Scio enim quam nil difficilius ferre possis, atq; de tuis ornamentis uirtutibusq; audire. Ideo, cuia tutius in eo uersabor, de argumẽto quod susceptũ tractandum, postremo loco tecum al quanto prolixius agam: Ibi enim minus periculi erit, ne te offendam, licet breuitate sẽper utẽdum esse apud Tuam celsitudinem existimauerim, ut occupationum multiplicium & uariarum, quibus distineris, et quo ad Rempublicam, & quo ad Ecclesiã, ratio habeatur. Paucis itaq; nõnulla decreui explicare, quæ si reticuissem, imprudens, nouator, audax, temerarius aut minus pius haberi forte possem, quasi sacramẽto Eucharistiæ honorem dignitatemq; suam ademerim, uel sacram cœnã ecclesiæ sine Christo uoluerim obtrudere, uel alia huius generis persuadere, quæ ad impietatem, uel negligentiam religionis conducant. Malim potius aut mori, aut nihil esse, aut extrema quæq; pati, quam dogmata eius generis disseminare. Equidem in primis tantũ huic sacramento attribuo, ut statuam Christifideles id usurpando, summa beneficia consequi, quæ à Deo in hac uita sperari possint, modo ipsi aut vitijs, aut infidelitate non obstent. Tria uero nunc esse cõstituo bonorũ capita, quæ homines uchementer expetãt. Primũ, ut vita quã nascendo acceperunt, sibi quàm diutissime prorogetur & conseruetur. Vellent ad hæc habere Deum sibi placatum atq; propitium, nam cum intelligant qui sapiunt, nunquam se uacare culpa, & noxæ cuilibet certam diuinitus pœnam deberi, nisi expiationem in promptu eamq; certam habeant, miserrime uiuunt. Postremo illi prudentes optant, ut inter sese, iuste, commode, iucunde, ac tranquille agant, sine his enim & calamitose & infœlicissime uiuitur. Hæc sunt in summa, quæ ubiq; ab omnibus, qui non desipiunt, cum primis desyderantur. Caput uero, præcipuumq; horum trium, ut scilicet uita quam longissime pro

tra-

trahatur, quam vtili salubriq; cibo consequimur, id nos in sacra cœna obtinere certissimum est, ubi quemadmodum panis & uinum (quæ corpus alunt) communicantibus externe porriguntur, ita uere datur eorum animis, ut corpore & sanguine Christi (quæ in nostrã data sunt redemptionem) per fidem uescantur, vnde totus homo noster, cũ interior, tum exterior, ad summã fœlicitatẽ instauretur. Et hæc est unica ratio manducandi corpus & bibendi sanguinem Domini, quam scriptura sancta & probat & nouit, quando nimirum fide constanti & firma, apprehendimus Iesum filium Dei seruatorẽ & dominum nostrum, in crucem dedisse suum corpus, & sanguinem suum pro nobis effudisse, seq; nos sibi donatos à patre, ita esse complexum, sibiq; coniunxisse atq; incorporasse, ut caput sit nostrum, nos eius membra, et caro de carne eius, os de ossibus eius, maneatq; & uiuat in nobis, & nos in ipso. In hoc tota cibi huius potusq; uis & ratio sita est, ad quam fides nostra triplici uerbo excitatur & accenditur, quandoq; interiori, dum uidelicet, spiritus sanctus occulta, sed potenti ui, animos incitat ad hæc nobiscum repetenda, & uiua promptaq; fide complectenda: ad hoc idem ope sermonis Dei (nos extrinsecus percellentis vel sono vel scripto) nõnunquam impellimur, deniq;, vt non desint infirmitati nostræ adminicula, Christus panem & uinum pro symbolis adiecit in cœna, quæ per institutum & uerba eius efficiuntur sacramenta, id est organa, quibus in mentibus nostris fidẽ spiritus sanctus excitat, ut per illã corpore & sanguine ipsius spiritualiter, sed tamen uere, alamur et substẽtemur. Quid igitur hoc cibi genere magis potest fidelibus ad uitam conducere? Nõne ista mãducatiõe manemus in Christo, et Christus in nobis? An expressa nobis promitti requirimus tãtũ bonũ, q̃ cũ ipsemet dixit, Qui mãducat me, propter me uiuet? Porrò in ob.c. 6. docuit dñs hãc simplicẽ, nudam, uerã tamen, id est, non cõfictam sui corporis mãducationẽ, suiq; sãguinis potũ, quæ postea uerbi externi adminiculo, nec non sensu panis & uini, eũ ad sacrã mẽsam accedimus, uouit idẽ Dñs ut adiuuaretur. Quãobrẽ qui uitæ diuinæ (æternæ inq̃ et fœlicissimæ) non est contemptor, quomodo eucharistiã nõ maxime faciet? Quomodo nõ eã, ut dulce suæ salutis pignus, nõ exosculabitur? Quomodo eam in cœtu sanctorum non tam frequenter quã data fuerit, usurpabit? Certe nullus, qui hæc secũ paulo diligentius expenderit. Post ui-

tam

tam autem, quã in primis uniuersi appetunt, ut ea non degatur infœlix, cupiunt plerique omnes, numen diuinum habere placatum, ueluti prius cõmemorauit: Qua de re si persuasi non simus, diuexat animus, perturbant cogitata, flagellat conscientia, terrefaciunt creaturæ, ut ultrices & seuerissimæ dei uindices, nil in nobis, nil extra nos placatum tranquillúmue habemus, Cœlum & infernum ex æquo timemus, Diabolum & Deum pari odio prosequimur: Namillum ut carnificem, hunc uero ut iudicem exhorremus. Adsunt itaq; nobis sacræ litteræ, docentq; non alia ratione placatum esse nostro generi cœlestẽ patrem, quam vnigeniti filij eius uictima, per quam Deus fœdus æternum cum suis iniit, peccata ignouit, credentes in filios adoptauit, primogenito suo donauit saluandos et incorporauit, atq; hæredes cœlestis regni instituit. In perceptione autem Eucharistici sacramenti, mortis domini nostri, ac totius mysterij nostræ redemptionis per incarnatum Dei uerbũ memoria refricatur, testamenti dei mentio repetitur, & per Christi sacrificium in ara crucis oblatum, beata Christi communio, & remissio peccatorum offertur. Quare in hoc sacramento, si rite & cum fide perceptum fuerit, nõ quidem ui operis, uerum Christi gratuito beneficio, quod credendo apprehendimus, fatemur peccata ignosci, testamentum siue fœdus inter nos et Deũ confirmari, ipsumq; filium dei uitam habentem in semetipso propter patrem, sic percipi, ut quicunque uera fide communicant eius carne & sanguine, uiuant propter ipsum, et hæreditatem cœlestem à fidelibus pro ratione huius uitæ adiri. Proinde hic non solum uitam, sed uitam ab ira dei tutam atq; tranquillam nobis uendicamus. Quiq; deum propitium atq; fauentem, & filium dei manentem in nobis habemus, quo gaudio, quibus delitijs, quo uoluptatum honesto genere destituimur? profecto nullo, si uera & solida, non autem spectra & vmbras persequamur. Et huius commodi fecit mentionem Christus hoc sacramentum instituendo, cũ daret corpus et sanguinem suũ fide manducandum & bibendum, nimirum ad uitam fide substinendam & alendam: nam inquit apud Lucam, Hoc facite in mei recordationem: quod Paulus magis explicauit, scribendo, Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & biberitis de hoc poculo, mortem domini annuntiabitis, donec ueniat. Deinde ab utroq;, Luca uidelicet & Paulo, ad calicem dicitur: Hoc poculum nouum testamentum est per

meum

meum sanguinem, qui pro uobis effundetur. Ideireo quo ad reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, & testamenti confirmationem, nihil ipse finxi, nil commentus sum, nil adinueni, quod ex sacris litteris non deprompserim. Postremo, quoniam homo non est ad solitudinem factus, uerum socialis ciuilisq; uitæ appetens, ideo cum iam statuit se per Christum numen diuinum habere propitiū, ac per eundem condonata sibi esse peccata, nil ulterius ad eius perfectam absolutamq; uitam requiritur, quamdiu hic uiuitur, nisi ut cum alijs hominibus, qui appellantur in diuinis litteris proximi, coniunctæ, summaq; cum iustitia & charitate, degat. At istud sacramentum efficacissime ac uehementer nos huius admonet. Dum enim efficimur in mysterijs ὁμοσώμους, quid aliud mente agitare debemus, quam nos esse unum corpus? quam nos esse sub Christo capite inuicem membra? quam nos esse unum panem? id est, ita inter nos coniungi, ut infinita ferè tritici grana, in illum panem quem sumimus, coaluerunt. Certe lapidei sunt & ferrei, qui ad coniunctionem & charitatem inter fratres colendam, his monitis non permouentur. Tygridibus quoq;, immanissimisq; bestijs efferatiores censebuntur, qui cum filiū Dei pro inimicis uitam posuisse animaduertāt, nō adducantur ipsi, ut fratribus & proximis suis, pro quibus Christus mortuus est, pro uiribus benefaciant. Conciliat homines inter se mēsa prophana, quādo illā eandem habent, cur id non magis efficiat mensa Christi? Cum cibo feræ seuissimæ cicurentur, cur homines his diuinis alimentis non mansuescant? si fœdera & pacta cibo potuq; firmari consueuerūt, cur gratiam amicitiamq; inter se communicando, filij dei non constabiliant? Horū procul dubio admonentur hoc diuino ritu, & scripturarum sanctarum uerbis quæ in eo recitantur. Quod si admonitio (ut duri sumus, et ad iusta, honesta et sancta plus, quam inepti) parum aut non satis momenti existimetur habere: modo fides non desit, per sacramenta et uerba Domini, spiritus sancti uis cordibus nostris adiungitur, quæ ad concordiam, pacem et charitatem mutuam semper extimulat, ita ut non solum externa monitio adhibeatur, uerū animi quoq;, dum una cōmunicamus, intus calcaria diuini afflatus experiātur. Quamobrem uides amplissime Præsul, quæ insignia et eximia bona ego doceam nobis per Eucharistiam concedi. Sunt modo Μαχυρομάχιγες, et clamitent quantum uolunt, me sacramen-

tum cœnæ dominiuiolare. In medium ipsi prodeant, & ostendant suis transubstantiationibus, portentis atq; τερατολογίαις, quid amplius (quam ego statuerim) solidi fructus & iustæ commoditatis ex hoc sacramento, uel communicantibus, uel ecclesijs attulerint: Commemorabunt manendi in Christo, et vt Christus in nobis maneat, beneficium? Ego quoq; illud statuo. Cõmemorabunt uitæ diuinæ cœlestis atq; beatæ consequutionem? Ego etiam illã pono. Cõmemorabunt perceptionem corporis & sanguinis Christi? Ego non minus q̃ ipsi eam astruo, sed quæ fide ac animo habeatur. Obijcient ne remissionem peccatorum? testamentum confirmari? memoriam crucis et mortis Christi fieri? Non arbitror, quandoquidem uniuersa hæc ego pleno auditorio crebro docui. Opponent ne incorporationem (ut ita loquar) quam cum Christo, & inter nos qui sumus eius membra, communicando per fidem assequimur? Nequaquam, istud enim & à me perpetuo inculcatur. Quid igitur proferent, cum in sacris litteris nil præterea de Eucharistiæ sacramento prodatur? Scio iam quid sint dicturi: Transubstantiationem auferis, præsentiam corporalem, carnalem, realem atq; substantialem tollis, hoc nos male habet, hoc, amplius quam tu posueris, nos asserimus, hoc abs te dissentimus. Audio, & de transubstantiatione, tum quia res est inepta, tum ideo quod plus satis de ea & in Disputationibus, & in Tractatione quæ illis præfixa est, egi, in præsentia nihil respondere statui. Verum de corpore Christi quod me negare præsens esse, tantopere quiritamini, uolo nonnulla satisfactionis causa proloqui. Si vos rogarem, quorsum ponenda sit huiusmodi, quã ipsi fingitis, præsentia, non aliud (quantum arbitror) mihi respondebitis, quam ut corpus Christi et sanguis eius nobis coniungatur. Sed cum istius coniunctionis totum opus cœleste ac spirituale sit, ad hoc ut locum habeat, præsentia hæc uestra, pro qua tantopere pugnatis, minime requiritur. Quid hic, aut vllo contactu physico, aut locorum propinquitate, opus est? Queso uos mihi dicite, cum sacræ litteræ prædicant, non solum nos Christo copulari, uerum etiã cum fratribus esse inuicẽ mẽbra, ita ut simul unũ corpus efficiamur: nonne fatebimini eos fideles qui sunt in Hyspania, Italia, Germania, & Gallia, nobis coniunctos ita esse, ut sint nobiscum (quemadmodum Paulus dicit) inuicem membra? Scio non negabitis: Quod si

istam

istam unitatem, qua per Christū in unum connectimur, locorum interstitium & contactus physicus (qui nullus esse potest) nihil impediunt, cur absq; reali præsentia & corporali, negatis Christo nos uere coniungi? quod si non negatis, quare istam præsentiam tā importune urgetis? Vtq; planiori simili magisq; expresso adhuc utar. Vir & uxor in sacris literis (ut scitis) una caro et sunt et dicuntur. nā inquit Adamus, (uel per Adamum) Deus, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrē suū & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt in carnem unā. Atq; adeo proprium est hoc simile rei quam tractamus, ut Paulus ad Ephesios, ita corpus Christi ecclesiam faciat, uti uxor est os & caro uiri. Et tamen istam carnis unitatem inter coniuges, nihil impedit, si (ut fit) uir interdum Londini fuerit ad aliquod tempus, et uxor Cantabrigiæ uel Oxonij manserit. Loci distantia, & naturalis contactus, qui tunc haberi non potest, minime conuincit uxorem & uirum inter sese, unam eandemq; carnem non esse. Idcirco non est, quod unitatis caussa cum Christo ineundæ, adeo conemini corpus & sanguinem eius, aut pani aut uino alligare, uel (ut dicitis) sub speciebus panis & uini operire. Sine his portentis uere Christo adiungimur, sine his figmentis Eucharistia est integrum perfectumq; sacramentum, & sine his præstigijs nō minus uera sunt Christi uerba quibus dixit, Hoc est corpus meum, cum panem apostolis porrigeret, ut in libro fusius declarabitur. Itaq; ad hæc omnia stabilienda & confirmanda, corporali uel substantiali corporis Christi præsentia, Ecclesia minime indiget. Nolim existimari tamē propter similia quæ induxi, cōiunctionē quā habemus et inimus quottidie cū Christo leuem ducere, aut nimis extenuare, nā probe scio, scripturas ut illā q̄ arctissimā demonstrarent, nō solū consuesse prædicare nos esse spiritu, merito, et intercessione Iesu donatos, eiusq; afflatu et spiritu cū agi, tū uiuere, sed etiā illū ipsū esse nobiscū, p fidē in cordibus nostris habitare, caput nostrū esse, cūq; in nobis, et nos in ipso manere, in eo nos renasci, carnēq; eius et dari et accipi, ut māducetur atq; bibatur. Verū locutiōes huiusgeneris ītelligo metaphoricas esse, nā sermones de his rebus nō tā facile habētur ꝓprij, siqdē uoces, ut ul hoc uel illud significēt, ad humanū īstitutū sūt definitæ. Quare ad cœlestia et diuina cū ꝓuenitur, aīalis homo, q̄ tāta arcana nō ītelligit ea nec noīare q̄

dem poteſt. Vnde ſpiritus ſanctus, quo noſtræ infirmitati conſuleret, cum lumen & ſenſum, quæ noſtram naturam ſuperent, conceſſerit, ad has quo; metaphoras ſe demiſit: Videlicet habitandi, manendi, comedendi atq; bibendi, ut nobis hæc diuina & cœleſtis coniunctio quam habemus cum Chriſto, quocumq; modo innoteſceret. Has autem loquendi formas, cum duo uidcamus in ſe complecti, ſimaon nimirum efficaciam, ſignificationem uero non propriam, ſed tranſlatam, neceſſarium eſt, ut eas nõ temere, ſed prudenti ſpiritualiq; cautione interpretemur. Quæ tunc adhibetur, ſi earum ſenſum, potiſſimum quando ad ſacramẽta applicantur, nõ plus æquo extenuemus, neq; illi nimiũ quã par ſit, attribuamus. Hyperbolæ patrũ, et Anabaptiſtarũ contemptio, Sacramenta (& hoc potiſſimũ de quo agimus) mirum in modum obfuſcarunt, dum iſti teſſeram tantum mutuæ charitatis, & mortis Chriſti frigidum tenueq; ſignum hic eſſe decernunt, illi uero nil pene reliquũ faciunt diuinarũ rerũ, quod iſti ſacramento nõ attribuant, quo imprudentes ad horrendã idololatriam, gradum fecerũt. Neq; poterit aliter hæc mediocritas quã cupimus, retineri, niſi cõmoratas phraſes ad analogiam, ſiue conuenientiam ſacrarum litterarum interpretemur. Quæ tametſi requirit, ut Chriſti unitatem (quẽadmodum dicunt) hypoſtaticam non diſtrahamus, propter quam naturarum proprietates (diuinitatis inquam & humanitatis) utrinq; cõmunicantur, attamen eadem à nobis efflagitat, ut quod per alternationem ἀντιδόσεως communicauimus, interpretando ſana intelligentia diſtinguamus, quo & diuinitas humanis infirmitatibus non ſubdatur, & humanitas uſq; adeo non deificetur, ut relictis naturæ ſuæ terminis, deſtruatur. Diſcernendum itaq; eſt ſpiritualiprudentia, non aliunde quam ex diuinis litteris comparata, quid Chriſto iuxta unam naturam, quidue iuxta alteram conueniat. Itaq; præſentia corporis Chriſti, quam ego ab Euchariſtia remoueo, eſt, qua uel ὑβίς diffundi, uel in multis locis eſſe pro eodem tempore ſtatuitur, ita ut quantitatem et circumſcriptionem, quæ propria et neceſſaria eſt humano corpori exuat. Vnde ſi quis per præſentiam, fidei noſtræ perceptionem intelligat, qua ipſi aſcendimus in cœlum, et Chriſtum in ſua maieſtate gloriaq;, et mente et ſpiritu amplectimur, cum illo facile conſentiam. Ab illorum uero ſententia maxime abhorreo, qui corpus Chriſti clauſum & opertum in pane et uino, uel ut contendunt

ſub

sub harum rerum speciebus asserunt, idq; ut ipsum ibi colant, adorẽt, & in summa, idolum erectum habeant. Hoc est caput, origo, et fons totius contentionis, in hoc potißimum situs est totius præsentis controuersiæ status, de quo si non bene, pure, & clare decernatur, semper habebunt aduersarij, quo superstitiones ac idololatrias (quas Ecclesiæ obtrudunt) specie aliqua pingant, colore ornent, & sophisticis captionibus defendant. Vtq; paucis totum complectar, duo hæc enixe contendo. Vnum, hoc sacramentum cœnæ dominicæ præter usum nihil esse: Quod ut uerum sit, cætera sacramenta fidem faciunt. Alterum est, quod etiam dum illo utimur, corpus Christi et sanguinem sola fide tenemus. Quiq; secus docent, et quæ ipsi non intelligũt, neq; ab alijs intelliguntur, dicunt, & in huiusmodi obscura atq; inextricabilia, sese scripturis non cogentibus, ultro conijciunt. Et sententiæ quam dixi, hæc est basis, robur, & fundamentum, quod proprium est suumq; diuinæ naturæ, ut sit ubiq; per substantiam, & omnia impleat: è diuerso autem, hæc humanæ naturæ sors est atq; conditio, ut definito loco & mensuris & spatijs contineatur, neq; ad multa uel ad omnia loca sese pro eodem tempore diffundat. Hoc sensus ita esse testatur, humana ratio confirmat, & nulla scriptura diuina uncquam aliter factum esse probat. Hoc patres non semel protulerunt, hoc etiam si inuertatur, secusq; (ut à multis fit) doceatur, nulla commoditas importabitur, quam eandem non habeamus, dum nostræ, id est modo expositæ sententiæ, inhæremus. Proinde hi qui aduersum me clamitant, quod cœnam domini sine Christo, hoc est absq; illius corpore & sanguine haberi doceam, hoc sibi responsum habeant: si præsentiam corporis Christi uelint, eius apprehensionem per fidem, quæ nobis & uerborum et symbolorum significatione offertur, et beneficio domini exhibetur, eam (uti iam dixi) libens et uolens admitto. Nam quemadmodum lux, color, sonus (& id genus) licet loco remota sint, nostris attamen sensibus dicuntur præsentia, dum illa percipiunt, ita poterit, iuxta hanc significationem præsentiæ corpus Christi dici adesse, eo quod ipsum fide complectamur. Et recto sanoq; iuditio si res decernenda sit pro exposita ratione, corpus Christi dicetur longe magis credentibus adesse, ac illæ qualitates, quæ loco distant, & nihilominus percepta sensibus, præsentia esse dicuntur, quandoquidem fidei arctior est complexus, & multo firmius

minus rebus creditis hæremus, quam sensus aut ratio his quæ naturali sua facultate comprehendunt. Et de hac præsentia corporis Christi uideri possem iam satis aperte, quod sentiam expressisse, nisi animaduerterem posse celsitudinem tuã fortasis admirari (ut est emunctæ iuditij, & amans puræ simplicisq; locutionis, potissimum in re theologica) cur ego in quæstionibus harum disputationum, uoces realiter, substantialiter, corporaliter & carnaliter, usurparim, cum exoticæ sint, & à phrasi diuinæ scripturæ prorsus alienæ. Istud idē Reuer. Antistes, ego quoq; sensi, et meo arbitratu si mihi permissum fuisset ut loquerer, ab his uocibus ut peregrinis, addas etiam barbaris & ambiguis, omnino abstinuissem. Cæterum ad illas partim receptus in scholis usus, partim aduersariorum importunitas me impulit, qui me quo (ut arbitrabantur) euidentius mediũ tenerēt, & quasi euertētem funditus Eucharistiæ Sacramentum, magis apud plebem rudioresq; sacrificos traducerent, his crassioribus uerbis præsentiã Christi sub speciebus (vt dicunt) panis et uini, tum ipsi uehementer affirmabant, tum è diuerso me illam hæreticissime negare, quanta cũ efficacia poterant, inuulgabãt. Hic interdum, qui meæ sententiæ atq; doctrinæ fauebant, susciebant (cum adessent forte fortuna) eam tuendam, et quia conflictus inter eos et aduersarios nostros his eisdem uocibus frequentissime intercesserat, Idem me sæpius rogarunt, ut de corporis Christi præsentia, iuxta harum uocum significationes, dicerem semel expedite quam q; apertissime, quomodo statuendum iudicarem. Hinc sane contigit, ut in scholis nonnunquam his aduerbijs usus fuerim. Scholasticos itaq; Theologos, hi flosculi primos habent authores, illis enim uerba ista (licet barbara) idonea uisa sunt, & quam commodissima ad res μφατικώτερον exprimendas. Verum ne hic ambiguitate laboremus, quomodo ego ista accipiam, operæ pretium fuerit explicare. Quando Christi corpus realiter, substantialiter, corporaliter, & carnaliter adesse nego, propterea non est inferendum, nos ficte, simulate, aut phantastice corpus Christi comedere. Nam si per has uoces rei ueritatem intelligant, non inficiabor Corpus CHRISTI uere à nobis percipi, quod enim fide comprehendimus, non falsum, non fictum non simulatum, neque phantasticum haberi debet. Alioquin

mors

mors & resurrectio CHRISTI, quæ credimus, cum præterierint et præsentia non adsint, ficta essent et phantastica, atque ueteres qui Christum percipiebant, habueruntq; nobiscum eundem potum & cibum spiritualem, cum eius corpus & sanguinem, quæ comedebant & bibebant fide, præsentia realiter & corporaliter non possent habere (nondum enim filius dei ea assumpserat) dicerentur ficte phantastice et simulate hæc habuisse, quod absurdissimum esset: Quandoquidem fides nil est aliud, quam uis et facultas quædã nostris animis diuinitus concessa, qua rebus uerissimis atque firmissimis assentimur. Ideirco non potest, uel ficta uel simulata complecti. At si per istas particulas contendant (vt reuera contendunt) corpus Christi simul & eodem tempore in multis diuersisq; locis esse atque diffundi, huic sensui ego resisto, hic ego pugno, hæc putent qui legunt, me negare. Addo etiam, his uerbis corporaliter & carnaliter, sane iudicantibus, perceptionem sensuum referri: Ideo cum Christi corpus, nec sensu nec ratione capiatur, ea liberius repudio. Atq; hinc accidit, ut cum inter me et aduersarios de quæstionibus transigendum esset, duo hæc duntaxat, corporaliter et carnaliter obtuli, quibus modis negabam, corpus et sanguinem Christi adesse, non quod eis, aut uolens, aut libens uterer, sed quod ea vsurpare, uti exposui, coactus fuerim. Imo postremo cum disputandum esset, iamq; oporteret quæstiones exprimere, ueriti mei Antagonistæ, ne suffugium aut stropham in aduerbijs his, corporaliter et carnaliter, occultarem, quo res (ut putabant) magis perspicue proponeretur, alia duo, realiter et substãtialiter, uoluerũt adiecta. Quicquid itaq; hac parte peccatum est, non mea uoluntate, sed aliorũ uitio est admissum, huiusq; rei testem habeo Reuerend. D Doctorẽ Coxũ Regiæ Maiestatis institutorem et Oxoniensis vniuersitatis dignissimum Præsidem, de cuius prudentia, doctrina, et pietate, nunc non est dicendi locus, quæ tamen per seipsa in eo sic perspicua sunt, ut longe lateq;, id est, et in schola, et in Ecclesia, et in aula resplendeant. Is dum aduersarij mei de quæstionibus, ita (ut dixi) cauillarentur, non solum interfuit, uerum ob magistratum quem ibi gerit, toti negotio præfuit. Cognouerunt quoque idipsum Reuerendi Domini Visitatores, uiri et clarissimi et omni virtutum genere orna-

ornatißimi, coram quibus egerunt ſemel aduerſarij mecum, & ſatis contentioſe, de propoſitarum quæſtionum quam ſuſpicabantur ambiguitate, neq; inter nos alia ratione conuenire potuit, niſi me recepiſſem, corporaliter & carnaliter, pro eodem habiturum, atq; ſi dictum eſſet, realiter atque ſubſtantialiter. Super hac re prolixius ad Reuerend. D. T. ſcribere uolui, quod multos offendendos his uocibus facile ſuſpicerer, cum iam aliquos, eoſq; pietate ac eruditione inſignes, non libenter eas audiuiſſe animaduerterim. Qui forte mihi nunc erunt æquiores, cum intellexerint, & cur iſta uſurparim, & qua ſignificatione uel affirmem uel negem corpus et ſanguinem Domini ſacræ cœnæ adeſſe. Idq; ut rurſus quam paucißimis patefaciam. Hæc nobis uere dari & offerri aſſero cum uerbis tum ſymbolis, dum potenter & efficaciſſime per iſta ſignificantur. Atq; uicißim, communicando, nos eadem uere accipimus, quando, quæ uerborum & ſymbolorum ſignificatione porriguntur, pleno ſolidoq; fidei aſſenſu complectimur. Vnde fit vt cum Chriſto quam arctißime iungamur, quemq; in baptiſmo, regenerationis beneficio adepti ſumus, eundem in nos rurſus magis ac magis per ſacramentum cibi traijcimus, quandoquidem natura ita comparatum eſt, vt iiſdem alamur, quibus conſiſtimus. Et ſi ſalui eſſe uolumus, tamdiu curare debemus, ut Chriſtus in nobis maneat, & nos in eo, quo ad toti conuertamur in ipſum, et ita conuertamur, vt nihil noſtri, connatæ inquam mortis, corruptionis atque peccati, reliquum fiat. Tandem id ſupereſt Ampliſſime Præſul, ut duo uitia deprecer, in quæ libere fateor me ſcribendo incidiſſe. Vnum eſt, quod interdum occurret in meo libro, idem, bis, terue repetitum, quod porrò acutis et eruditis hominibus permoleſtum eſſe conſueuit, qui uel non moniti, per ſeipſos multa uident, & omnia ſibi exponi ſuperfluum ducunt, nedum æquo animo patiantur ſubinde eadem inculcari. Attamen cogitandum, quod hæc, & ſi pariant eruditis faſtidium, nihilominus quandoque repetitio atque congeminatio eorundem, utilitate non caret. Etenim hac tam infœlici tempeſtate, hæſit ita profunde hominum mentibus tranſubſtantiationis, & corporalis præſentiæ Chriſti in euchariſtia, opinio, eamq; uulgo tantopere exoſculantur,

tur, & in delitijs habent, ut mirifice impediantur auocenturq; animi, ne rationibus noſtris & ueritati ſecus monentibus attendant. Vtq; alte ſtertentibus una uel altera inclamatione ſatis non eſt ut expergiſcantur, ita his excitandis à ueterno receptæ opinionis, aliquid ſemel dixiſſe non ſufficit. Vnde non parum me arbitrabor conſecutum, ſi apud hoc ſuperſtitioſum hominum genus, eadem ſæpius monẽdo aliquid profecero. Suadeat itaq; charitas erga errantes eruditis & ſanis lectoribus, vt hoc faſtidium boni conſulant. Alterum quod mihi poſco ignoſci eſt, ruditas & imperitia ſcribendi, nam cum ab adoleſcentia in bonis artibus parum fœliciter fuerim inſtitutus (vt quandoq; iuuenibus, præceptorum uitio uſuuenit) nunc latine, pure, ac faciliter, uel dicere uel ſcribere, minime poſſum. Quare velim meminerint, cum Tua Celſitudo, tum omnes ad quorũ manus iſta peruenerint, non eſſe omnia ab omnibus requirenda. Equidem quod potui præſtiti, nec uoluiſſem eruditas aures meis ineptis lucubrationibus obtundere. Verum ut hæc ederem, non meapte ſponte factum eſt, ſed improbitas maleuolorum id extorſit. Quamobrem Tuã Reuerendiß. C. obſecro, per illam benignitatem, qua ſoles & litteras & religionem fouere, ut quæ offero, grato animo digneris accipere, & quæ in eis minus recte uidebuntur, libere improbare: ac è diuerſo, quæ orthodoxa & ſana deprehenderis, tua conſtanti authoritate atque benuolo fauore tueri. Deus Optimus Maximus, Tuam Celſitudinem ad multos annos, cum Regno, tum Eccleſiæ, incolumem ſeruet.

AMEN.

ERRATA.

In Epistola Nuncupatoria:

Pagina.3.fac.5.ver.4 habetur ὑπεραοσιτῦ lege ὑπεραωισῦ.
In epistola Visitatorũ.fac. prima vers.4. habetur ὅσόν lege ὅσον
In eodem versu habetur ὥτων lege ὠτῶν.

In Tractatione.

PAgina prima,facie secũda uersu sexto,indicatio,lege iudicatio.pag.4.fa.1.uers.8. 10.lege 22. pag.5.fa.2.uers.5.omnes,lege multi. Ibidem,effectũ leg.efnctum. pag.6.fa.2.uer.5.quod idem leg.quidem.pag.7.fa.1.uer.15 discriminem,lege discrimine. Ibid.uer.17.Christus, lege Christum. Ibi.℣.23.suffeciset leg.suffeciſe.Ibid. fa.2 uer.19.suscepisset leg. suscepisset. Ibid.uer.22 cum,leg.cum.Ibidem uers.20.profecto lege perfecto.pag.8.fa.1.uer.9 panem unnum,leg.& unum. Ibid.fa.2.uer.1.suo leg. sua. Ibidem uersu 7. redimerat lege redemerat. Ibidem uers. 14.unda,lege unda. Ibidem uersu 22. Christum aliter,lege sed aiunt Christum aliter.Ibidẽ 27.regenerationem,lege regeneratorem. pagina. 10.fac. 1.uersu.1.dum,lege cum.pagn.11. facie 2.uersu 18.corpore,lege,corpori. Pag.12.fa.1.uer.8. seperatam,lege, separatam. Ibidem uers. 10.seperatę lege seperatę. Pag.13.fa.1.uer.8. posum lege posset. Ibidem.fac. 2.uersu 26.delecta lege delectam.Pagina 14.facie 2.uers. 3.tamen lege tum.Pa. 26.fac.2.uersu 1. sanctificuti, lege,sanctificante. Pagin. 28.facie 1.uers.3.alii, lege,alius. Pagina 27.fac.2.uers.1.Dicit,lege, Item dicit. Pagin.29.facie 2.uer. 8.synecdoche,lege,synecdochen. Pagin.30.fac.2.uers.3. constitus lege constitutus. Pag. 31.facie. 2.uers.7. sed eodem modo,lege,sed non eodem modo. Ibi. uer. 21. mducare lege manducare. Pagina. 33.facie. 1. uersu. 10.synechdoche, lege,synechdochen. Et uers 11. metonymia,lege,metonymiam. Pagina 34 facie 1.uers.17.baptismum,lege,consecrationem.pagin.36. facie 2.uer.1.sanctum,lege, sanctam. pagina 41.facie 2.uers.ultimo,istum,lege,istud.pagina 44.facie 1.uer. 27.consydera,lege,consyderate. pagina.52.facie.1.uers.18.miralis,lege miraculis.Ibidem uer.25.est,lege,esse pagina 52 facie 2.uer.27.nobis,lege,nobis.pagina 54.facie 2. uersu.26.ab, lege,ad. pagina. 55. facie.1.uersu.5.esectum,lege,effectum. pagin.57.facie 2. uers.30.qui,lege,quia.pagina 58.facie 2.uers.11. contenderit,lege,contenderint.pagina 59.facie 2. uers. 22. sequatur quod, lege sequatur itẽ quod. Ibid. uer.28.Christi diffundunt,lege,Christi ad hęc diffunduntur. pag.4.facie 8.in margine habetur consilium,lege consensus. pagina 6.fac.4.℣. 5. habetur,& quod impropriẽ,lege,& quidem proprie.

In disputationibus.

PAgina.3. facie 2.uer.16.prȩclarum,lege,prȩclaram.pagina 28.facie 2.℣. 7.re,lege,rem. pagin. 43.uers.8.2.lege 11.pagina. 50.facie 1.uer.9.uocale fiet,lege,uocale fiat prolatione. pagina 52.facie 2 uers.25.posuisent lege,proposuisent.pagina 65 facie 2.uer.13.quod,lege,quid.pagina 66. facie 2. uer.11.sequetur,lege,sequitur.pagina 72.facie 7 uer.18.prȩterea,lege,propterea.pagin.85.facie 2.uers.30.&,lege,vt. pagi 87. facie 6.uer. 14. natura lege,naturę.uer.20.itaq; pane,lege,itaq; in pane.pagina 91.facie 5.uer. 27.indagatæ, lege,indagate.

Alia errata omissa, prudens lector, ipse candido pectore corriges.

Tractatio de sacra- 1.

MENTO EVCHARISTIAE, HABITA publicæ Oxonij, per D. PETRVM MARTYREM Vermilium Florentinum, in ea academia Sacræ Theologiæ publicum & regium professorem, cum iam absoluisset interpretationem. XI. capitis prioris Epistolæ ad Corinthios.



Contentiones de Sacramento Eucharistiæ suborte, hunc procul dubio scopum habent, vt intelligatur modus coniūctionis corporis & Sanguinis Domini cum symbolis panis & vini, uel vt alij appellāt, cū speciebus sacramentalibus. Quoniam apud omnes constat sacramentū hoc appellari CORPORIS & SANGVINIS Domini, ideo oportet aliquo modo hęc ipso sacramento contineri. Cæterùm nos hæc inda gando, non omnia referemus quæ vltro citroq; iactantur, ne res quę alioquin per sese obscura est, magis inuoluatur, & ne tractatio in immensum crescat. Ordo aūt & dispositio doctrinę ad quatuor capita redigetur: Agemus primū de ea cōiunctione, qua panem & vinum dicunt vulgò trāsubstantiari in corpus & sanguinē Christi, quæ uidetur sūma copulatio sacramenti cū rebus. Deinde excutiemus aliā sententiam, quæ statuit panem quidem & uinū quò ad suas integras & ueras naturas, in sacramento retineri, & ita retineri, ut sibi adiunctum (ut lo-

Status quæstionis de Eucharistia.

Quatuor capita sūt hic tractāda.

quuntur) naturaliter, corporaliter, & realiter, uerum Corpus Christi & Sanguinem habeant. Tertio loco expendetur quod alij dicunt, ista minimè coniungi inter se alia ratione, quàm sacramentali, id est per significantiam & repræsentationem. Postremò, indicatio inducetur, qua ex opinionibus pertinentibus ad secundam & tertiam sententiam, elicietur quantum uideatur magis ad pietatem facere in hoc sacramẽtali negotio. Auspicabimur itaq; ab opinione transubstãtiationis, partim quia crassior est, deinde quod recentior, & quia reliquæ duę sententiæ eam & concorditer & paribus studijs expugnant. De illa scribitur à Magistro sentẽtiarum in. 4. lib. 8. 9. 10. 11. distinctionibus. Vtq; in sũma dicam, ita se habet. Minister ad hoc ordinatus, dum verba profert à domino instituta, super debita & conuenienti materia, id est, pane & vino, modò intentionem (vt loquũtur) habeat hoc agendi, substãtia panis & vini, conuertitur in substantiam corporis & sanguinis Christi, atq; ita conuertitur, ut accidentia conuersæ aut euersæ substantię, maneãt absque subiecto, quæ tamẽ uoluerũt nonnulli corpori Christi, quod successit, inniti, verũ hoc ideo falsum est, quia reuera corpus Christi talibus non afficitur accidentibus. Conati sunt alij subijcere illis aërem ut naturale fundamentum, quod item cùm probari non possit, omnes ferè huius sententiæ patroni ea consentiunt pendula esse, & absq; subiecto manere. Volunt deinde hæc accidentia quæ videntur & sentiuntur, significare nobis corpus Christi verũ, quod habeant in se velatum & opertum. Progrediuntur postea vlterius, & aiũt: Istud CHRISTI corpus delite-

Opinio quæ statuit transubstantiationem.

delitescens sub illis accidentibus, esse signum cum ipsius corporis Christi quod in cruce pependit, tum etiam mystici corporis, id est societatis electorum atque prædestinatorum hominum. Vnde Magister sentẽtiarum, inquit, esse hic aliquid quod tantùm est signum, atque id ponit esse species visibiles, aliud quod res est & signum, nimirum corpus CHRISTI, quod occulitur sub accidentibus, id enim res est, si referatur ad species visibiles & signũ, si spectes mysticum corpus: Aliud inquit est, quod signum nullo pacto dixeris, sed rem tantummodo, nimirum corpus mysticum, quia ita significatur, vt nullius rei amplius signum existat.

Quæ postea in actione horum mysteriorum interseruntur, non inquit necessaria esse, sed tantum gratiarum actiones, aut preces interpositas: Et si quæsieris ab eis, quomodo tantũ corpus eo paruo pane cõtineatur, dicunt hoc nõ esse per modum quanti, nec etiam localiter, uel vt loquuntur, definitiuè, sed per modum substantię, vtq; dicunt, sacramẽtaliter. Neq; habent pro absurdis, in hoc sacramento contineri duo corpora eodem loco, quoniam id ponere coguntur, etenim inter panis accidentia est quantitas, & ea quidem corporalis. Item non abhorrent vt idem corpus verè in pluribus locis existat, & hominem concedunt iustæ proceritatis & staturæ, vt Christus fuit in cruce, utq; ad iudicandum veniet: Non solum in paruo pane, sed etiam in quàm minima parte eius, uerè, sed inuisibiliter, contineri.

Plura possent adhuc referri quo ad istam sentẽtiam, sed uolo hęc satis esse nostræ tractationi. Qui plura desyderat Magistrum sentẽtiarum loco citato cum

ſuis infinitis interpretibus poteſt conſulere. Cõuerſionis autem ſiue tranſubſtantiationis hæc afferunt argumenta.

1. *Argumenta pro trã ſubſtantiatione.*

PRIMVM, Scriptura ſancta id ſuadet: Nam Ioannis.6. promiſit dominus carnem ſuam ſe daturũ eſſe, non ſolùm pro mundi uita, ſed ad mãducandũ: & adiecit, Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit Sanguinem meũ, nõ habebit vitam. Aiebat prẽterea ſe panem eſſe de cœlo, & quidem viuum, quem pater dediſſet, vbi apertè pollicebatur ſeipſum daturum manducandum ad ſimilitudinem panis: & quod promiſit, bona fide prẽſtitit, ut Euangeliſtæ in extrema cœna factum atteſtãtur. Atq; id quod traditur, corpus Domini eſſe, Paulus demõſtrat, cum inquit: Qui manducat & bibit indignè, reus erit corporis & Sanguinis Domini: Item, iudicium ſibi mãducat & bibit, nõ dijudicans Corpus domini. Sed robur argumenti totum in illis uerbis conſiſtere aiunt, quibus dicitur, Hoc eſt Corpus meum, quæ clara eſſe contendunt, nec expoſitionibus egere, & nobis (inquiunt) pro reuerentia quam debemus verbo Dei, opus eſſe illis credere, nam in ea conſpirarunt Euangeliſtæ, Matthęus, Marcus, & Lucas, item Paulus apoſtolus priore ad Corinthios, & niſi res eſſet magni momenti, & ita ſimpliciter accipienda, vt ſonat, tanta concordia inter ſe non conſenſiſſent apoſtoli. Quod ſi tropis liceat eludere, nihil iam (inquiũt) ab hæreticis tutum erit.

Deĩde, propoſitiones huius generis, ut iſta, Hoc eſt Corpus meum, accipi debent, ut ſubiectum & prędicatum idem repræſentent ac referant, (ſitq; ut in ſcholis dicitur) identica propoſitio, niſi aliquid

ante

ante vel poſtea in ſermonis contextu reperiatur, quod nos ad tropũ vel ad allegoriam adigat, quod hoc loco non inuenitur. Imò ſi rectè inſpicias quæ conſequuntur, ad ſimplicitatem propoſitionis nos potiùs reuocant. Nam dicitur, Quod pro uobis tradi-
tur: manifeſtum verò eſt pro nobis fuiſſe traditũ ipſiſsimum Chriſti corpus.

Præterea quæ natura & ſpecie diſcreta ſunt, & 3.
à dialecticis uulgò appellantur, diſparata, ut homo, equus, & lapis, ita ſe habent, ut nullo pacto de ſe mutuò predicari poſſint, etenim uerum nunquam erit, hominem eſſe lapidem, uel è diuerſo: Corpus autem Chriſti & panem in hoc cenſu eſſe dubitat nemo, quare nunquam uerum erit dicere de pane, quod ſit corpus Chriſti, ideo quando protulit Dominus, HOC EST CORPVS MEVM, neceſſarium eſt abeſſe ſubſtantiam panis.

Additur: Chriſtus non temere vſus eſt verbo 4.
ſubſtantiuo prẽſentis temporis, vt diceret, Hoc eſt corpus meum potuiſſet ſanè dicere, Hoc ſignificat corpus meum, Hoc repreſentat corpus meum, Hoc eſt figura corporis mei, vel ſignum corporis mei: aut hic panis eſt corpus meum, quæ omnia cum euitarit, ſimpliciter accipiẽdũ eſt dictũ, ut ipſe protulit

Ad hæc, ſi maneret ſubſtantia panis, duæ ſubſtan- 5.
tiæ ſimul manerent, & quidem corporeæ, atq; ſe mutuò penetrarent, quod ponendo tranſubſtantiationem remouetur.

Rurſus immineret periculum ne populus in ido- 6.
lolatriam incideret. Nam cum Chriſti corpus adorandũ ſit, ſi panis ibi remaneret, is quoq; adoraretur

Neq; ex dignitate videtur eſſe corporis Chriſti, 7.

ut hoc pacto vel pani vel vino coniungatur.

8. Argumentantur & à ratione sacrificij. Nam si corpus Christi à ministro offertur, oportet vt ipsũ habeat, & ibi conspectui dei sistat, nisi velimus dicere eũ rem tantũ significatã et adumbratam offerre.

9. Clamitant postea omnino patres à se stare.

Patres p se citant.

Irenæus. Irenæum in primis citant, qui ait in quinto libro: Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbũ Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi. 4. lib. ferè idem dixit.

Tertulli. Tertullianus item libro 4. ait, CHRISTVM acceptum panem, & distributum discipulis corpus suum fecisse.

Origenes. Et Origines in Matthęũ capite vigesimo sexto ait: Panis iste quem Deus verbum, corpus suum esse fatetur: & quæ sequuntur.

Cyprian. Cyprianus in sermone de cœna domini: Panis iste communis, in carnem & sanguinem mutatus, procurat vitam: Ac rursus in eodẽ sermone, Panis iste quem dominus discipulis porrigebat, nõ effigie sed natura, mutatus omnipotentia verbi, factus est caro.

Ambros. Ambrosius de sacramentis libro. 4. Panis est ante uerba sacramẽtorũ, ubi accesserit cõsecratio, de pane fit caro Christi: Et multa alia habet hmõi in libellis de sacramẽtis.

Chrysost. In eandẽ sententiam Chrysostomus Homelia. 60. de Eucharistia, quę. 6. tomo habetur, inquit, simile esse hoc sacramẽtũ cerę admotæ ad ignem, vbi nihil substantię remanet, sed tota igni assimilatur, ita inquit, hac substantia corporis Christi absumi panem & uinũ.

Augustin. Augustinus in prologo psalmi uigesimi tertij: Christum, inquit, gestasse seipsum suis manibus, cum in cœna sacramentum instituit. Et in psalmo. 98. exponens illud, Adorate scabellũ pedum eius, Carnem Chri-

Christi asserit adorandam in sacramento, quod nō congrueret, si panis residuus esset. Et de trinitate libro tertio: Sacramētum, inquit, non posse fieri nisi ui spiritus sancti cooperantis. Et Hilarius. 8. de trinitate, inquit, per naturæ veritatem Christum in nobis esse, et non tantùm per concordiam voluntatis, aitq; nos verè verbū carnē cibo dñico sumere. Leo episcopus Romanus epistola. 10. clero & plebi Constantinopolitanę. Accipiētes virtutem cœlestis cibi in carnem ipsius, qui caro nostra factus est transeamus. Damascenū addunt à se omnino stare. Inducitur ab ipsis etiā Theophylactus, qui apertissimè transelementationis meminit. De Anselmo verò atq; de Hugone de sancto Victore, qui posteriores fuerunt, nō est dubium, quin transubstantiationem asserant, ideo patres tam veteres q̄ nouos, pro se facere dicunt.

Hilarius.

Leo.

Theophil.

Citant & concilia, nimirū Ephesinum cōtra Nestorium, vbi fuit Cyrillus qui prę̄sidebat, & is multa habet hac de re, & potissimū dicit nos participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi effectos, nō communem carnem percipere, neq; vt uiri sanctificati, sed verè sanctificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Citant & concilium Vercellense sub Leone nono, vbi fuit damnatus Berēgarius, de cuius palinodia & in Decretis habetur de consecratione, distinct. 2. & in 4. sententiarū. Itē cōciliū Romanū Lateranēse sub Innocentio. 3. qui transubstātiationis meminit in Decretalibus de sūma trinitate capi. firmiter, & de celebratiōe missarū capite, Cū Martha. Concilium etiā Constantiense, ubi damnatus est wicleffus, qui hanc transubstantiatio-

10. Conciliū Ephesinū.

Conciliū Vercellen se.

Cōcilium Romanæ Lateranē se.

tiationem inficiabatur.

11. Cõsilium ecclesiæ. Scotus. Citant & pro se, ut aiunt, cõsensum totius ecclesiæ, quo adeò permotus est Scotus in 4. ut cum non demonstraretur firmiter scripturis & rationibus transubstantiatio, attamen cesserit, ne consensui ecclesiæ aduersaretur.

12. Deducunt ad hæc latissimum atq; fusissimum argumentum à potentia dei, quod longè maiora is præstare possit.

13. Et miracula inducunt complura, quæ sunt edita ad huius veritatis testimonium, ut quod in manibus Gregorij ad eius preces hoc sacramẽtũ versum fuerit in digitum carneum: quandóq; ibi apparuerit paruulus puer. Et sacramentum perfossum lanceolis, emiserit sanguinem.

14. Multa dicunt etiam de corpore Christi glorificato, quod Paulus hac priore ad Corinth. appellat spirituale, vt ostendant Christo id optimè licuisse, vt corpus suum traderet nobis uelatum et opertum accidentibus.

15. Et inducunt, non simpliciter positum esset græcè, Hoc est corpus meum, sed adijcitur articulus, vt nõ dicatur σῶμα, sed τὸ σῶμα μου, & consueuerunt Græci tum addere articulos, quando sermonem volunt admodum proprium, & significantem facere.

16. His addũr, Promisit Christus apostolis, Ero uobiscum usq; ad cosumationem sęculi. Quod non est traducẽdum tantum ad diuinitatem, quia & illi hoc sciebant, verum quia tristabantur propter eius corporalem abitum, illos consolatur, quod sit cum eis futurus etiam corpore.

17. Præterea, Si auferatur tansubstantiatio & remaneat

neat panis, cum is non posſit esſe corpus Chriſti, relinqueretur tantum ſignificatio, & tunc non haberent noua ſacramenta quippiam, quod in veteribus non reperiretur. Nam & illa Chriſtum ſignificabant. Imo ſi ſpectes externam ſpeciem, magis adumbrabant q̄ panis & uinum, quoniam ibi animalia bruta cędebantur, et fundebatur eorum ſanguis, quod in pane & vino minime contingit.

Videturq̄ illis mirum, cum Chriſtus promiſerit in Petro, fidem eccleſiæ non defecturā, eaq̄ ſit ſponſa Chriſti chariſsima, quomodo illam tamdiu in hac idololatria deſeruerit, neq̄ oſtenderit rei ueritatem contra tantum abuſum. 18.

Argumentantur etiam: Si conſeruatis panis et uini ſubſtātijs, ueritas rerum non poteſt adeſſe, ut cōcluſum eſt, nil plus habebitur in ſacramento, quam in vulgaribus cibis atq̄ conuiuijs. Nam ibi quoque fideles panis & uini ſignificationē intelligent, atq̄ ita ſacramentorum dignitas peribit. 19.

Poſtremo loco inquiunt, uerbo Dei conſeruandam eſſe ſuam uim atq̄ potētiam, quæ ſi auferatur, tranſubſtantiatio non manet. Ambroſius de ſacramētis inquit, Verbum Dei operatorium eſſe, ut panis & vinum maneant quæ ſunt, & in aliud commutentur. Quę verba interpretatur Algerius ſcriptor recens in primo libro quem de hoc ſacramento compoſuit, cap. 7. quod panis & vinum maneāt quoad accidentia, mutentur uero in aliud, ſiue in melius, quoad ſubſtantiam. 20. *Ambroſius.*

At nunc uidendum eſt, quibus uiciſsim argumētis hæc ſententia euertatur. Primum, Scriptura ſancta ponit hic panem eſſe, ergo non eſtrerum ſub- *Contra tranſubſtātiationem.*

stantiam eius in aliud conuerti.

Euangelistæ Christum aiunt accepisse panem, fregisse & dedisse Discipulis: & Paulus quinquies meminit panis. Nonne panis quem frangimus communicatio corporis Christi est? Et, Omnes sumus vnus panis, & unum corpus, qui de uno pane participamus. Item, Quotiescũcp manducabitis hũc panem, mortem Domini annunciabitis donec ueniat. Et, Quicunqp mãducauerit hunc panem, & biberit hoc poculum Domini indignè, reus erit Corporis & sanguinis domini. Postremo, Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Hęc quoniam clara sunt & aperta, ideo si Angelus de cœlo Euangelizauerit secus, esto anathema. Potuissem quidem inducere id, quod sæpe habetur de fractiõe panis, cæterũ quia video posse aliter accipi, quasi dicatur de uulgari & communi cibo, ut in Esaia. 58, Frange esurienti panem tuum, & Hieremias in threnis cap. 4. Petierunt paruuli eorum panẽ nec erat qui frangeret eis, idcirco supersedeo, & no lo adducere nisi firma. Cum itaqp loca ante citata sint perspicua, debent simpliciter accipi. Sed cauillantur aliqui, panem dici propter naturas quæ conuersæ sunt, atqp ut eorum more loquamur, aiunt denominationem hanc esse à termino à quo, & auferunt consimilia loca. Cum serpens factus ex virga Aaronis, deuorauit serpentes Magorum, quos & ipsi fecerãt ex suis virgis, dicitur virga Aaronis deuorasse Magorum serpentes. Deinde non semel in sacris literis, homo dicitur terra, eo qp ex ipsa, corpus eius effectũ fuerit. Mulier itẽ dicta est ab Adamo, os ex ossibus eius, & caro ex carnibus eius, quia inde

Paulus quĩ quies panis meminit.

Frangere panẽ Hebraica locutio.

Obiectio.

de fuerat, à Deo formata: Verũ hęc fruſtra obiiciũ tur, quia in ſacris litteris habetur aperta mentio iſta rum conuerſionũ, iccirco neceſsitas hiſtoriæ & uer borum nos adigit ad iſtos tropos, eos itaq; admitti- mus. Ita iſti nobis prius oſtendant ex ſacris litteris iſtam conuerſionem factam eſſe, nimirum panis & uini, in corpus & ſanguinem Chriſti, & hos quoq; tropos dabimus eis, ut uidelicet panis dicatur non qui modo ſit, ſed qui antea fuerit. Et eòdem ſpectat quod dicunt, Si quis mihi vinum donaſſet, quod ſta tim aceſceret, & ego habens in cantharo illud ace- tum, comode dicerem, hoc eſt vinũ tuũ, non quod tũ vinum ſit, ſed quia antea vinũ fuerat. Sed hic de conuerſione vini in acetum ſenſus indicat, quod in Euchariſtia non contingit, vbi neq; ſenſus, neq; ra- tio, neq; ſancta ſcriptura nos adigit, ut ibi talem uer- ſionem confiteamur. Obiiciunt locum ex Ioanne cap. 2. Cũ guſtaſſet archimiclinus aquam vinũ fa- ctam, quo uolunt oſtendere, uinum recens produ- ctum Chriſti miraculo, adhuc aquæ nomẽ retinere. Sed euangeliſta non dixit aquam ſimpliciter, ſed vi nũ factam. Hanc vero declarationem in ſacris litte- ris non reperient, ut panis dicatur conuerſus in cor pus Chriſti. Confugiunt & quandoq; ad caput. 6. Ioannis, ut dicant apoſtolum hic panem dicere, non triticeũ, & uulgarem, ſed Corpus Domini, quod. 6. cap. Ioannis, panis appellatur, vbi Chriſtus dixit: Ego ſum panis uitæ. Sed contra eos facit, quod in- quit Paulus, Panis quem frangimus, nonne cõmu- nicatio corporis Chriſti eſt? quod non poteſt cor- pori Chriſti conuenire ut frangatur, quandoquidẽ ſcribitur, Os nõ comminuetis ex eo. Cæterum iſti

Reſpõſio

Obiectio Aliquãdo res nomi- nari ex eo quod erãt non ex eo quod ſint.

Reſpõſio.

Obiectio.

Reſpõſio.

Obiectio.

Reſpõſio.

Panis ma- terialis Eu chariſtiæ

non est panis de quo in 6. Ioannis agitur

tam acuti, licet inuenerint in capite Ioannis sexto, CHRISTVM se appellasse panem, ubi quæso reperient eum se appellasse vinum? Quandoquidem in hac cœna alterum symbolum, vinum dicitur: et quod improprie, nimirum in illis verbis, Non bibam posthac ex hoc genimine vitis: Nemini vero dubium est vites, non accidentia producere, sed vinum. Deinde perit quod à patribus magno consensu dicitur, Corpus mysticum symbolis huius Sacramenti designari, quia panis ex multis granis conficitur, & vinum ex multis acinis confluit, quæ in accidentibus veritatem non habent. Et de his non vulgariter miramur, qui si quando nos audiant adducere similia, puta, Petra erat CHRISTVS: Agnus, siue victima, est Pesach: Circumcisio, est pactum: Clamant istas allegorias non facere ad hunc locum, & nunc ipsi & tropos & allegorias vndiq; coaceruant. Dicunt etiam panem hic accipi pro omni eo quod potest comedi, vt Herbaica lingua לחם, accipitur pro omni genere cibi. Verum contra eos faciunt Euangelistæ, qui hoc genus cibi, ad panem contrahunt. Fingunt alij, panem significare accidentia & figuram panis, qui principium petunt, & quod est in controuersia, quasi sibi iam datum sumunt, nimirum accidentia illic esse absque subiecto, quod ante probare debuerant. Neque sunt miracula absque necessitate coaceruanda.

Confirmatio.

Obiectio.

Iehem.

Responsio.

Obiectio.

Responsio.

2. Aliud argumentum est. Veteres habuerũt eadem sacramenta quæ nos habemus, & tamen ibi non o-

pus

pus fuit transubstantiatione, vt Petra, vel aqua è petra fluens, aut Manna transubstantiaretur, quod tunc fieri non poterat. Itaque & ad nostra sacramenta hæc non requiritur. Priorem propositionem legimus in Paulo, Veteres & nos habuisse eandem escam. Aduersarij negant, & volunt omnino, multisque modis, nostra sacramenta distingui à mysterijs antiquorum, quod nos etiam damus, cum propter diuersa symbola, tum propter temporum differentiam, & alias quasdam proprietates. Verum quoad rem sacramentorum, quæ percipiebatur à sanctis Patriarchis, dicimus prorsus fuisse eundem cibum, & eundem potum, cum re nostri sacramenti. Augustinus ad Marcellinum scribit de discriminem horum sacramentorũ. Homini acuto posse sufficere, alijs sacramentis prænuntiari Christus cum venturus esset, alijs cum veniisset annuntiari oportuisse. Vbi videtur Augustinus tãtum spectare temporis differentiam, Et in libello de vtilitate veræ penitentiæ agendæ, scribit apertissime, antiquos cum Manna habuissent, idem manducasse, quod nos manducamus.

Obiectio.

Responsio Sacramenta veterũ & nostra eadem.

Nam eundem inquit cibum spiritualem manducauerunt Quid est eundem? nisi quia eum, quem etiam nos? Et quia potuisset alicui indignum uideri, nos non amplius habere quam Iudæi habuerint, Pauli testimonium vrget, cui non sufficisset, (inquit) dicere, antiquos habuisse spiritualem cibum, sed addere uoluit, eundem, quo intelligamus eos in suo Manna idem comedisse, quod nos manducamus, ideo EVNDEM adiecit.

Neq; obstat, quod aliqui dicũt, eum loqui de spirituali manducatione, quod videlicet Patriarchæ in Christum venturum crediderint. Primum, quia isti suam manducationem carnalem Christi, non possunt constabilire. Deinde, quod non solũ animo credebant ueteres, sed etiã perceperũt creditæ rei symbolũ, id est Man, aut aquam, ideo res nõ tãtum fide agebatur, statq; Augustini sentẽtia, cibum patrum non solum fuisse spiritualem, sed eundem. Parũq; valet, si obijcias ex eodem Augustino super psalmo 73. in prologo, quæ ibi constituit discrimina inter noua & vetera sacramenta, quæ tria videtur facere, Primum, quod ibi promittatur seruator, hic uero detur. Postea inquit, Nostra faciliora, pauciora, augustiora, & fœliciora: ac demum, Illa fuisse ut ludicra in manibus puerorum, in nostris vero esse aliquid utilius et solidius. Ista intelligẽda sunt quo ad primũ de promissione Christi venturi: sed non obstante quod carnem re ipsa nondum susceperint, credentibus attamen patribus in promissionẽ, spiritualiter dabatur in cibum. Nostra autem, Christum dicuntur dare, nimirum q̃ cum venisse testentur, ut non amplius sit expectandus. Deinde, nostra pauciora esse certum est, ac habere maiorem facilitatem: Significant etiam augustius, quia uerba quæ dicuntur magis aperta sunt, atque in veteri testamento fuerint. Præterea, felicitas est maior, nam à iugo ceremoniarum sumus liberi, & in extrema hora uersamur, magis vicini profecto regno Christi. Vberior etiã nũc est spiritus, latiusq; patet ecclesia quam eo tempore, vnde multi reges & prophetæ desyderarunt uidere quæ uos uidetis: Fuerunt etiam sacramen-

cramenta legis, ut ludicra, in manibus puerorum, quia sub pluribus ceremonijs, elementis varijs, & multiplici pædagogia, instar puerorum, oportuit ueterum ætatem exerceri. Sed his omnibus minime efficitur, sacramẽta ueterum non habuisse quod attinet ad rem mysterij, eadem quæ nostra habent.

Nam Cyprianus lib. 2. epla. 3. habet: Dominus noster IESVS Christus obtulit hoc idẽ quod Melchisedech obtulerat. i. panem, uinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Aug. contra Faustũ li. 19. cap. 16. Quanto errori delyrent, qui putant signis sacramentisq; mutatis, etiã res ipsas esse diuersas. Et ibidem lib. 20. ca. 21. Huius sacrificij caro & sanguis ante aduentum Christi, per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi, per ipsam ueritatem reddebatur: Post ascensum Christi per sacramentum memorię celebratur. Idem super Ioannem tractatu. 26. Sacramenta illa fuerunt in signis diuersa, sed in re, quæ significatur, paria sunt.

Idem mox, Eundem ergo cibum, eundem potum, sed intelligentibus & credentibus, non intelligentibus autem, illud solum manna, illa sola aqua, credenti autẽ, idem qui nunc. Tunc enim Christus uenturus, modo Christus venit: venturus & venit, diuersa verba sunt idem autẽ Christus. Et Bertramus inter recentiores ita scribit. Eãdem tamen escã spiritualem manducasse, & eundem potum spiritualẽ bibisse patres nostros, S. Paulus asseuerat. Quęris fortasse, quam eãdem? nimirum ipsam, quam hodie populus credentium in ecclesia manducat & bibit. Non enim diuersa licet intelligi, cum unus idẽq; Christus est, qui & populum in deserto in nubæ

& in

& in mari baptizatum, ſuo carne pauit, ſuo ſanguine tunc potauit, & in eccleſia nunc credentium populum ſui corporis pane, ſui ſanguinis unda paſcit ac potat. Et mox idem, Mirum certe, incõprehenſibile & ineſtimabile, nondum hominem aſſũpſerat, nondum pro ſalute mundi mortem deguſtauerat, nondum ſangnine ſuo nos redimerat, & iam noſtri patres in deſerto per eſcam ſpiritualem, potumq; inuiſibilem, eius corpus manducabant, & eius ſanguinem bibebant, velut teſtis exiſtit Apoſtolus clamans, Eandem eſcam ſpiritualem. Et mox idem, Ipſe namq; ,qui nunc in eccleſia omnipotenti uirtute, panem & vinum in ſui corporis carnem, & proprij cruoris unda ſpiritualiter conuertit, ipſe tunc Manna de cœlo datum, Corpus ſuum, & aquã de cœlo profuſam, proprium ſanguinem, inuiſibiliter operatus eſt.

3. Videmus præterea in ſacramento baptiſmi ſpiritum ſanctum conferri, & remiſſionem peccatorũ, nec tamen iſta dicemus in aquis deliteſcere, Imò & Chriſtum induimus, nec tamen ullus dicit aquam tranſubſtantiari. Chriſtum aliter in Euchariſtia eſſe, & aliter in baptiſmo, quod ego non negauerim, modo concedant & in baptiſmo eſſe. De modo, fateor in baptiſmo Chriſtum nobis dari, ut mediatorem, vt reconſiliatorem, atq; ut magis proprie loquar, regenerationem. Hic uerò ut cibus & alimentum nobis diſtribuitur.

Obiectio.

Quõ Chriſtus in baptiſmo & Euchariſtia detur.

Deinde cum ſua tranſubſtantiatione iſti maxime accedunt ad Marcionitarum tropum, nam dicũt: Videtur panis & non eſt, quod idem Marcion aiebat de carne & corpore Chriſti, quod non fuiſſet vera caro

Reſponſio 4. Marcionitarum error.

caro, sed tantum appareret. 5

CHRISTVS non est præstigiator, neq; sensibus nostris illudit. Probauit autem suam resurrectionem à sensibus. Palpate inquit, & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet. Potuissent apostoli dicere, Palpamus, & videmus, Caro et corpus apparet, uerum non est, atq; inanis fuisset ea probatio, qua Christus probauit se non esse phantasma, sed uerum habere corpus: Et, quod suum proprium recepisset et non aliud, ex fissuris clauorum, et aperto latere demõstrauit. Quod eius argumentum, si detur locus his prestigijs, nullius esset roboris.

Christus nõ est præstigiator.

Obiectio.

Quin et patres, à proprietatibus & accidentibus humanæ naturæ argumentantur, Christum vere hominem fuisse, quia esurijt, dormiuit, admiratus, & contristatus est, & lachrymatus, & passus, quæ argumenta pereunt, si ex iltis accidentibus non uere demonstratur substantia, vt non liceat dicere eadem est figura, idem sapor, idem color, qui panis esse consueuit, ergo uere est panis: Nam fatebuntur hæretici, CHRISTVM esurijsse, dormiuisse, admiratum, lachrymatum & passum esse, uerum cum inde inferes, igitur uere fuit homo, negabunt consequutionem. Dicent enim proprietates istas potuisse, in Christo habere locũ, quamuis non adsit earum substantia, uidelicet humana natura. 6.

Aiunt ad quartum argumentum de Marcione, Illum potuisse capere ansam erroris sui ex euangelio, ubi scribitur de Christo, qd siccis plãtis ambulauerit super aquas, eleuatus fuerit in cœlũ, & elapsus

Obiectio.

è manibus Iudęorum ut se non viderint, nec tamen propter istud periculum Marcionitarum, hæc debere auferri ex Euangelio. Quibus respondemus in Euangelijs describi, Christũ semel aut iterum ista fecisse miracula, sed uos ponitis hæc perpetua esse. Et quæ in scripturis sunt, ipsi non finximus, ideo non debemus accusari datæ occasionis. At in his quæ fingimus, quæ exponimus & dogmatizamus absq; expresso Dei uerbo, cauẽdum est ne fenestrã hęreticis patefaciamus.

Responsio

7. Corrumpitur adhec natura Sacramenti, de quo Augustinus super Iohannem inquit: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Natura eius est ut componatur ex his duobus, sed vt isti ponunt, elementa, id est, panis & vinum, auferuntur, & tunc Augustinus dicere non debuit, Accedit verbum ad elementũ, sed tollit vel aufert elementum.

Natura sacramenti.

8. Et cum remoueant naturas elementorum, perit analogia significationis. Panis ideo significat Corpus Christi, quia alit, confirmat, & sustentat, quod accidentibus tribuere non possumus. Est prętera significatio multorum granorum in vnum collectorũ, quæ representat Corpus mysticũ, & ea non potest accidẽtibus tribui. Vnde Paulus dicebat, Multi sumus unus panis & unum corpus, quia de vno pane participamus. In baptismo, aqua dicitur lauacrũ regenerationis, et quia seruatur eius substãtia, id optime cõuenit, quod accidentibus aquæ non quadraret.

Quæ sit analogia symbolorũ ad res in hoc Sacramento.

Analogia symbolorũ ad rẽ in baptismo.

9. Et auferendo substantiã panis & uini, in propositione Hoc est corpus meũ, uerbo substantiuo EST, abutuntur, pro transubstantiatur, conuertitur, vel transf-

trãſmutatur. Nam dum proferũt illa verba Domini, nondum panis eſt Corpus Chriſti, vnde ſi acciperẽt, EST, ſua uera & propria ſignificatione, falſũ proferrent. Quare inter ſcolaſticos nonnulli fatentur, EST, verbum, debere ſumi pro fieri, mutari aut conuerti.

Attribuũt deinde iſtam potentiam aut efficatiam illis paucis verbis Domini, vt quoties repetuntur, fiat iſta conuerſio, nec habent in ſacris litteris ea de re ullum verbũ. Et ſi quis diceret ea quæ Paulus habet, Mathæus, Marcus, aut Lucas, putarent nõ conſecrari. Vim enim totam alligant ad uerba ſui canonis. Nos autem ſcimus tunc haberi ſacramentum, quando agimus quæ Chriſtus egit, & iuſſit fieri. Is vero non tantum ea verba dixit, ſed gratias egit, panem fregit, comedit, atq; alijs porrexit ad comedendum: Cumq; multa hic ſint, omnia concurrunt ad ſacramẽti veritatem, nec aliquid iſtorum intermitti debet. Mitto quod ignorant an uerbis Chriſti conſecratio habeatur, an precibus. 10.

Exponunt adhæc ſe magno periculo. Nam poſſet ſacrificus malus & impoſtor illa verba reticere, immutare, aut inuertere. 11.

Pręterea cum intentionem (ut loquuntur) requirant conſecrantis, ille poſſet hęc agendo, nil cogitare de conſecratione, & forte eam nolle. 12.

Incidunt in multa abſurda & iexplicabilia. Nam ponunt idem corpus eſſe poſſe in infinitis locis ſimul, & in eodem tempore. Sed aiunt ſibi hoc non obeſſe, quia & ſi ibi ſit Corpus Chriſti, non tamen hoc fit per modum quanti. Et hoc eſt mirandum, quomodo ponãt Corpus, & quantum, & uere ad- 13. *Idem corpus nõ eſt ſimul in*

multis locis. esse, non tamen per modum quanti. Cumq; statuant verè adesse, & corporaliter & carnaliter ut dicunt, sed non localiter. Quis non videat ista conficta esse ad eludẽda argumenta? Obijciũt hoc datũ esse cor pori humano Sãcti Ambrosij, qui dum Mediolani esset, Turoni interfuit exequijs diui Martini, & ibi visus est. Cur inquiunt non magis id cõcedendum est corpori Christi, quod Ambrosius habuit? Sed assumunt quod nos minime damus. Nã fieri potuit vt Ambrosio reuelaretur, sibiq; fuerit uisus adesse illis exequijs, atq; opere Angelorum in illis forte repræsentatus est aspectibus plebis, qđ aũt vere fuerit corpus eius vtrobiq;, non dabimus. Deinde possemus recitati miraculi penes authorem fidem relinquere. Opponũt rursus de animis, quod cum sint creaturæ, attamen quilibet eorum est in capite, & in omnibus membris nostri corporis. At ualde imprudenter faciunt qui spiritum conferant corpori, & quæ spiritui licent, uelint dari Corporibus. Aperte Christus dixit: Spiritus carnem & ossa non habet, quo discrimen inter ea non mediocre posuit. Deinde etiam si concedamus Corpori dandum quod animus noster habet, non consequitur, corpus Christi esse posse in diuersis locis, quia animus noster & Angeli, non possunt esse in diuersis locis, uno atq; eodem tempore. Sũt enim creaturæ, atq; ideo limitatæ finitæq; uirtutis.

Obiectio.

Miraculũ Ambrosii

Responsio

Obiectio.

Responsio

15. Absurda quæ sequũtur trãsubstantiationem. Sequuntur & multa alia incommoda, quia si mures panes istos sacros arroserint, illi dicent eos comedere accidentia. Quod si impleantur & saturentur, hoc quoque erit opus accidentium. Et si contingat sacrificum uerba illa proferre super dolium uini, & cistam

ciſtam panis, quæ ſatis ampla fuerit, & quæras, quid impleat dolium, quid ciſtam, quidue etiam ventriculos eorum, qui inde comedunt & bibunt? ſunt reſponſuri, accidentia. Et quia comedentes aluntur, nonnulli eorum dicere auſi ſunt, Deum creare in ventriculis comedentium & bibentium uel pituitam, vel alium quempiam humorem, qui in ſanguinem conuerti poſsit, unde illi nutriantur.

Quod ſi comburatur illud ſacramentum, ut fiebat Heſychij tempeſtate, quod ipſe ſuper Leuitico atteſtatur, idemque habet Origenes ſuper eodem libro, cineres profecto reſidui erunt, atque ita ſubſtantia procreabitur ex accidentibus. Vermes item poſſunt oriri ex pane conſecrato, & ibi etiam dicent, ſubſtantiam ex accidentibus produci. Quamuis, vt ſunt audaces, quidam eorum fingant miraculo, præcedentem materiam reduci, ex qua poſſunt iſta contingere. Sed ſi liceat miracula hoc pacto augere ac fingere, facillimè quilibet euadet thoologus, nam cuilibet difficiliori nodo miraculum adhibebit, atque ita ſoluet omnia, quæ ſibi obiecta fuerint argumenta. 16.

Agunt ad hæc, non ſolum miraculis, verum etiã ſophiſticis argutijs, vt Scotus, quando vrgetur in prolatione illorum verborum, Hoc eſt Corpus meum, vt nobis dicat quidnam demonſtretur in ſubiecto propoſitionis, tandem reſpondet: demonſtrari aliquod ſingulare ſiue indiuiduum generalioris ſubſtantiæ, quod cum prædicato idem refert, aut pro eodẽ (vt loquũtur) ſupponit, neq; differunt inter ſe, quæ ſignificantur per ſubiectum, et præ- 17.

Quid demõſtretur in propoſitione, Hoc eſt corpus meũ, pronomẽ hoc.

& prædicatū, nisi per varias concipiendi rationes. Vide in quæ proruant, & tamē non adhuc euadūt. Nondum enim responsum est ab eis, quid demonstretur cum dicitur, hoc est Corpus meum. Roffēsis inquit in his propositiōibus quando aliquid mutatur in aliud, non esse absurdum, ut id quod antea fuit, demonstretur, & sic admittit, Hoc est Corpus meum, ut demonstretur panis qui fuerat, & mutatur in Corpus Christi, dum illa dicūtur. Sed tunc ego dico, propositionem non recte formari. Nam debuit dici, Hoc fit Corpus meum, uel Hoc conuertitur in Corpus meum, alioquin si dicatur, Hoc est Corpus meum, locutio fit impropria.

18. Qui ponunt Corpus Christi realiter coniungi symbolis, conseruatis panis inquam & vini naturis sic argumentantur contra transubstantiationem. Quid habent accidentia aut dignitatis, aut priuilegij vt possint coniungi Corpore Christi, quod substātiæ & naturę panis negari debeat? Et si manere possunt accidentia, quare non item substantia panis retinebitur? Imo complures ex patribus hoc fieri supponunt, & inde similitudinem accipiunt ad ostendendam humanam et diuinam in Christo naturas, uere manere, & ita manere, ut una in alteram non transeat: Quorum sententias suo loco inducemus.

19. *Quod frāgatur in Eucharistia.*

Incidunt & in aliud absurdum. Nam dum frangunt Sacramentum, ab eis quærimus quid ibi frāgatur; hic ambigunt, & quidam dixerunt, ut attestatur Magister sententiarum in quarto, esse etiam siue substantiam Corporis Christi frangi. Sed confutatur ab eo ista sententia, quod Christi Corpus immor-

immortale sit, & ideo non afficiatur his rebus, & nouis casibus. Alij fuerunt qui dicerent, fractionẽ illam non esse veram, sed tantum apparere, & ita uideri sensibus nostris. Et hoc item repudiatur, ne constituamus hic perpetuã illusionem. Tandemq; inquiunt, accidentia esse quæ franguntur, & quum ponant quantitatem, quodammodo mathematicam id est, à materia seperatam', quæ si diuiditur id tantum ui mentis & facultate intellectus fit, isti eam re ipsa ita diuidunt, vt partes quam manifestissimè uideantur seperatæ.

In Hieremia legitur, Mittamus lignum in panẽ eius, qui locus à Tertulliano citatur & à Lactantio: & interpretantur hoc dictum fuisse de lingno Crucis in Corpus Christi mittendo, panisq; mentionem fieri uolunt, eo q; per panem Christus erat seipsum nobis daturus. Et quod propheta dicit, figuram fuisse uolũt panis sacramenti, quem isti cũ auferant, & solum figurã nobis relinquant, ponunt figuram figuræ, ut nil solidi subsistat. Quod idem colligi potest ex eo, quod sępius adducitur à patribus de Melchisedech, qui panem & vinum protulit, cuius typus ab istis non obseruatur, quando panem & uinum submouent. Ac de panibus propositionis idem sequitur. 20. *Transubstãtiatores figurasueteris testamenti tollunt.*

Rursus adducemus rationem à baptismo sumptam. Paulo ante inde argumentabamur, quod ad illius sacramenti veritatem non requirebatur, vt aqua transubstantiaretur, nunc ratiocinamur ab ipsis hominibus qui tinguntur, de quibus aperte scriptura inquit, quod veterem hominem deponũt, & rursus generantur, nec ulla tamen in eis fingitur transub- 21.

Mutatio nostri quæ fit in baptismo.

substantiatio, et nihilominus generatio, describitur motus, quo noua substantia acquiritur. Ideo nō est mirādum Nicodemum impegisse in verba domini, quibus ei denunciabatur nascēdum esse denuo. Dū enim cogitaret prędicari nouam generationem homini iam producto, & ætatis adeo prouecte, hęsitauit. Quod si interpretanur illam generationem nouam, et natiuitatē spiritualem esse, cur idē facere dedignamur in Eucharistia? et ad spiritualem manducationem omnia non traducimus? Libenter hæc duo sacramenta, baptismū & Eucharistiam cōiungo, quia Paulus in hac epistola capit. 12. ea simul connectit, quando inquit, Nos omnes per vnum spiritum in vnum Corpus baptizati sumus, et omnes in vnum spiritum potati. Neque valet si dixeris, nos baptizari in idem Corpus, videlicet mysticum, quia et à corpore mystico non abest CHRISTVS, cum sit eius caput. Et alibi dicit Paulus quam apertissime, nos in baptismo Christum induere.

Baptismi & Eucharistiæ conformitas.

22.

Videmus præterea scriptores sacros ex capit. 6. Ioannis, multa adducere de Sacramento Eucharistiæ, imo nullus ex patribus est, qui illud caput interpretando, non scribat copiose de Eucharistia, unde sic rationem connectimus: Vel quæ ibi dicuntur ad hoc sacramentum faciunt, vel non faciunt. Si huc non pertinent, quorsum ea citare, aut ex illis locis de Eucharistia disserere? Sin vero horsum spectant, cum ibi sit manducatio tantum spiritualis, id est per fidem, qua suscipiatur verum Corpus & sanguis Christi, quid oportet

6. cap. Ioa. quomodo pertineat ad Eucharistiam.

nouam

nouam aliam inducere perceptionem, carnalemq; manducationem comminiſci, qua idem rurſus accipiatur? Nam ſi demus aliquem accedere pium, & fidelem, tunc iſti cogentur admittere, cum his corpus Chriſti comedere: Primum ſpirituali manducatione per fidem, poſtea ſua carnali, quam nunquam probarunt. Atque ita vides eos præcludere ſibi viam, vt non poſſunt de Euchariſtia vere citare ea teſtimonia, quæ habentur in ſexto capite Ioannis.

23. Error Capernaitarum.

ET dum tranſubſtantiationem conſtituunt, eiuſdem erroris taxantur, atq; Capernaitæ. Illi quoque mente voluebant, neſcio quam corporalem carnis CHRISTI manducationem, à quo cogitatu, ſtatim CHRISTVS eos reuocauit, cum diceret verba ſua ſpiritum eſſe et vitam: Carnem nihil prodeſſe, & illis obiecit ſuæ Aſcenſionis in cœlum mentionem, dicens: Quid ſi videritis filium hominis aſcendentem in cœlum vbi erat prius? Verum iſti dicunt, ſe non eadem ſentire quæ Capernaitæ. Nam inquiunt, Illi cogitabant carnes CHRISTI diſſecandas in fruſta, & dentibus dilacerandas, iccirco abhorruerunt. Attamen de imaginatione Capernaitarum ſpeciali, quicquid ſit, ſcire non poſſunt, ſed veriſimile eſt eos carnaliter ſenſiſſe, ideo mentione aſcenſionis in cœlum monentur. Cur iſti ſeipſos inde non docent? qui dicere audent ſe CHRISTVM manducare, & carnaliter & corporaliter? Quid intereſt, ſiue per partes accipias, ſiue totum ſimul deglutias?

Obiectio.

Reſpõſio.

24. Huc accedit, Christum dixisse apostolis ad finem vitæ, quod mundum relinqueret, & ab illis recederet, quod non esset verum, si per transubstantiationem, vt isti volunt, nobiscum esset. Respondere consueuerunt, Christum reliquisse mundum, quoad mortales conditiones & familiaritatem, & conuersationem corporalem. Argutia quidem ista sunt, sed ad rem non faciunt. Nam cum hæc locutus esset Christus, Philippus respondit, Ecce iam loqueris palam, & absque parabolis. Verum si ita fuisset intelligendum, obscura erat oratio & parabolica. Deinde si Christus ita corporaliter nobiscum manet in Eucharistia, poterit eadem ratione, & in cordibus nostris, et in nobis ipsis manere: Iccirco potuisset per semetipsum, post ascensionem ecclesiam adhuc regere, & apostolis adesse, is tamen dicit se uelle dare vicarium loco sui, nimirum spiritum sanctū, qui non fuisset necessarius, si totus Christus, quoad diuinitatē & humanitatem (vt isti volunt) adesset. Nam in vnoquoq; nostrū cum sit caro & corpus eius, per communicationem (iuxta eorum doctrinam) & diuinitas adsit, per seipsum agere poterat, absq; monitore spiritu sancto.

Obiectio. Christus reliquit mundum. Resp. ōsio.

25. Maria dñi mater, beatissima virgo, cū audisset ab angelo verbum Dei suscepturū esse carnem, atq; ad concipiendum & pariendum filium Dei se delecta esse, hęc noua & admiranda iudicauit, interrogauitq;, istud quomodo fieret: & quæ sequūtur. Hæc autem transmutatio panis in Corpus Christi, cum nō sit leuior eo mysterio incarnationis & natiuitatis ex virgine, mirū est quomodo in scripturis sacris ea de re nulla inueniatur vel admiratio, vel interrogatio.

Admiratio, vel interrogatio de Eu-

gatio.

gatio. Et in nullis Euangeliſtarum vel Apoſtolorum ſcriptis, iſta fides tranſubſtantiationis nobis commendatur, cum ſit res magni momenti. Neque audimus nonnullos qui dicunt præceſsiſſe interrogationem in capite. 6. Ioannis, quia ipſi reſponſum ibi datum de manducatione ſpirituali, nunc volunt traducere ad hanc ſacramentalem, quam tamẽ aliam ab illa ponunt. Pro nobis itaq; facit ea interrogatio et reſponſio, ſed iſtis nihil prodeſt, qui aliam ab illa ſpirituali manducationem confingunt, iſtam ſcilicet, de qua modo agimus. *chariſtia.* *Obiectio.* *Reſpõſio*

Conſequuntur alia incõmoda, atq; abſurda, iſtorum fictionem. Nam Chriſtus dicebat, Volo vt ubi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus: atq; apoſtolis identidem dixit, et in apocalypſi legitur de quibuſdam martyribus, Sequuntur eũ quocunq; ierit. Vnde concluderetur in Euchariſtia nõ ſolum tranſubſtantiationem ponendam in corpus Chriſti, ſed in omnes ſanctos. Quod ſi illis diſplicet, Chriſtũ relinquãt in cœlo cum ſanctis ſuis, alioquin illum ſequẽtur per concomitantiam. At dicunt, illum quoque in cœlo ſinimus, uiſibilem & in ſua maieſtate ac gloria, hic tamen in Sacramento inuiſibilem ponimus. Et quæ obiiciũtur de comitatu Sanctorum & Martyrum uera ſunt, quoad Chriſtum, prout in cœlo eſt, uiſibilis, in ſua gloria & maieſtate. Ruinoſo fundamento innititur hæc reſponſio, nam accipit idem corpus Chriſti ſimul eſſe in multis locis, quod patres negant: Accipit Chriſtũ eſſe nobiſcum quoad corpus & carnem, cum ille dixerit quo adhæc ſe alium miſſurum loco ſuo, ſcilicet ſpiritum ſanctũ. *26.*

Neq; poſſunt effugere Chriſtum habuiſſe duo *27.*

corpora, quandoquidem in cœna cum panem accepisset in manibus suis, si is fuisset transubstantiatus in corpus eius, tamen corpus suum ipsemet gestasset suo corpore, oporteretq; concedere idem esse corpus gestans, & corpus gestatū, cū tamē idem agens & patiens, respectu eiusdem, pro eodem tempore esse non possit. Et ita uidemus in quæ absurda se conijciant. Solent adducere Augustin. in Psalmos, qui dixerit, CHRISTVM gestasse seipsum manibus suis. Sed si locus respiciatur qui est in septuagesimum tertium psalmū, scribitur, quod ferebat semetipsum manibus suis quodammodo, atque id nos concedimus, quia gestabat in manibus suis, corporis sui sacramentum, non autem proprie ac realiter corpus suum. Adde, quia Christus communicauit cum apostolis, consequi, quod seipsum manducauerit. Verum consueuerunt respondere. Ista sūt exercitia nostræ fidei. Sed occurrimus nos habere longe alias scripturæ sententias, in quibus fides nostra se exerceat, quàm in his quæ homines confinxerūt. Credimus incarnatum filiū dei ex virgine, natum, passum pro nobis, et mortuum, excitatum ab inferis, & in cœlis assumptum, & cōplura huius generis, in quibus abundè satis fides nostra se exercet.

Quomodo Christus gestet seipsum & mānducet seipsū

Obiectio.

Respōsio.

Obiectio.

Respōsio.

Vera fidei nostræ exercitia.

28. Cunq; istam transubstātiationem sensus non attingat, ratio non intelligat, experientia non doceat, quomodo percipietur? Scio dices, per fidem. At si fide sit agendum, ipsa sine verbo dei non poterit haberi, et eo prorsus destituimini.

29 Præterea, cum Christus hoc sacramentum fecerit duarum partium, nimirum corporis & sanguinis,

nis ex eo satis patet, rem non esse accipiendam per hanc transubstantiationem, quia in corpore Christi reali et carnali, hęc non diuiduntur. Sed habent suffugium, et aiunt tantum in vna contineri istarum partium, atq; in altera. Nos quidem audimus illos hoc asserere, cęterum scripturæ verba hoc non docent, sed tantum ad panem mentio fit corporis, et ad calicem solummodo commemoratur sanguis. Respondent quoad panem, vi verborũ, trãsubstantiatio fit in corpus Christi, uel in carnem Christi proprie, et per se, per concomitantiam vero sequitur et sanguis et anima, et diuinitas. Atq; de calice idem dicunt, q; efficacia verborum, primum ac proprie transubstantiatio fit in sanguinem, sed per cõcomitantiam, & corpus habetur, & anima, & diuinitas. Et hac sua argutia Christum faciunt minus prouidum, qui duabus partibus nihil plus tradiderit, q; in vna earũ seorsim contineatur. Et ex fictione sua natum est, vt postea sacramentum diuiserint, et dando Laicis tantummodo alteram partem, persuaserint eis, q; tantundem habeant, atque si ambas partes accepissent. Addas quòd isto suo commento, fenestram patefaciunt multis dogmatibus suppositijs, quia nullum est dogma, cui non possint infinita annectere per suam concomitantiam. Et sequeretur vt supra dicebamus, omnes sanctos huic sacramento adesse cum semper comitentur Christum. Sed vnica ratio, qua eos depellimus, est, ipsos hoc docere, Scripturam vero non ista loqui.

Obiectio.

Responsio

Obiectio.

Concomitantia quã ponũt quale figmentum.

Responsio

Cõtra concomitãtiã trãsubstãtiationis.

Consecutum est etiam transubstantiationem, aliud falsum, absurdúmque dogma, quòd putarunt post Sacramentorum perceptionem, 30.

Extra vsum sacramenta nõ permanẽt

adhuc manere sacramentum, et panem, siue panis species realiter atq; verè continere in se corpus Christi, quod non ita se habere ostendimns, per alia sacramenta ubi totum in actione consistit, qua sublata non est amplius sacramentum. In baptismo patet, cum quis tinctus aut perfusus aqua fuerit, per verba domini, tum cessat sacramentum esse. Quod idem in circumcisione fuit, nam et id sacramentum in actione situm erat. Neq; dedignabor accipere ea quæ ab illis appellantur sacramenta, vt est confirmatio, extrema vnctio, penitentia, & alia id generis, quæ omnia videmus in actione tantum habere locum. At solent dicere esse excipiendum hoc sacramẽtum Eucharistię. Id autem aduersarij quam dialecticè dicant, facile intelligitur, quando omnes partes inductionis cõcedũtur, et solummodo ponitur instantia de re controuersa, quis non uideat id perperam fieri? & solum ad eludendum argumẽtum? Nam illud est quodammodo premissas dare, & negare conclusionem.

Obiectio.

Respõsio

31. Finis præcipuus Eucharistiæ impeditur per transubstantiationem

Et propter hæc inaudita portenta huius metamorphoseos, impeditur præcipuus & cõmẽdatus nobis finis à Christo in sacris litteris, nimirum cõmemoratio Christi & mortis eius. Nam hic tota mens & animus istorum occupatur, in credenda trasubstãtiatione. Imo uideas nonnullos sacrificos, qui cum uenitur ad communionem, hoc tantummodo vrgent & inculcant credendum, præteritis alijs quæ magis necessaria sunt, Atq; ob hanc fictionem, reddita est communio in frequentior, quia illa persuasa, ceperunt homines cogitare, Si Christus corporaliter & carnaliter ibi est opertus accidentibus, i-

32. Per eandẽ impedita est fre-

bimus

ibimus saltem vsq; ad templum, uidebimus, adorabimus, inuocabimus, candelas accẽdemus, & alia huius generis, quibus putarũt se posse gratificari Christo. Quod si non opinati essent, sed existimassent, ut reuera est, tantummodo sacramentũ esse, intellexissent inde se non habituros commodum, nisi communicassent, & eorum animi fuissent magis ad cõmunionem accensi, quod uerè est satisfacere institutioni CHRISTI. *quẽs communio.*

33. Oportet deinde reuocare in animum, transiuisse tempus humilitatis & demissionis Christi, iam in cœlis regnat, & nomen habet, quod est super omne nomen. Quid itaq; oportuit per hanc transubstantiationem illum rursus demittere, quoad corpus, in fauces, & ventriculos cõmunicantiũ? Scio dicunt, non lædítur, nullã contrahit immunditiem: Fatebor, attamen parum decet, vt (quemadmodum dicunt) tam diu sub illis accidentibus detineatur, quoad ipsa manent integra, quę cum dissoluta fuerint, corpus Christi aiunt auolare. Qui fit, vt eũ cogant quotidie, & potissimum vsq; ad horas meridianas, perpetuo deuolare, & auolare: Sed inquiunt, has cogitationes oporteret facessere, cũ ipsi eas suggerant, sua carnali transubstantiatione. Si possent adduci vt omnia spiritualiter illic ageremus, nulla esset huiusmodi cogitatio. *Obiectio. Respõsio. Corpus Christi de mittitur parum honeste: Obiectio. Respõsio.*

34. Dumq; ponũt suũ hoc naturale et carnale corpus prẽsens num id faciunt ut penetret animũ nostrũ? vel vt insinuet se in corpus? in animum dicere non possunt, quia nil ibi carnaliter & corporaliter accipitur. Quod si voluerint corpus ab eo penetrari, interrogamus, quid hoc illi faciet? Respondebunt, vt homo

Sanctifica tio incipit ab animo non à corpore.

homo sanctificetur. Sed par est, ut sanctificatio ab animo incipiat, non à corpore. Dicunt, quædam uis & efficatia imprimitur, per quam & animus redditur melior, & corpus quoque confirmatur. At si de virtute agatur, hoc per transubstantiationem fieri, non est necessarium, cũ absq; ea id haberi possit.

Obiectio.

Respõsio.

36. Et ueteres, cum traderent sacramenti huius naturam, dixerunt, incruentam hostiam hic sacrificari, quod parum conueniet, si verum & corporalem sãguinem haberi constituamus. Neq; satisfacit quod aiunt, hostiam esse incruẽtam, quia hic Christus non occidatur, neq; uiolenter sanguis eius educatur. Nã etsi ista non fiant, attamẽ sine sanguine (ut est crassa eorũ imaginatio) res nõ peragitur. Vnde liquet, patres ideo sic locutos, quod hic uerę hostię tantum memoriam voluerint, eiusq; spiritualem perceptionem, quæ fide habeatur.

Incruenta hostia.

Obiectio.

Respõsio.

37. Solent præterea dicere, corpus & sanguinẽ Christi velari, ac operiri accidentibus panis & uini, ne crudis carnibus videamur uesci, cruore sanguineq; potari. Sed istos homines non putarim dicere, utcunq; rem pingant, aut colorent, si eorum transubstantiatio vera sit, nos non uesci crudis carnibus. Quandoquidem ut coquantur, neq; per eos, neq; per scripturas inducitur ratio. Et tamen scriptũ est de agno paschali, qui fuit sacramenti huius figura, ut nihil crudum ex eo comederetur.

Carne cruda nescuntur.

38. Ad hæc, uidemus Christum in Eucharistia sacramentum instituisse, qui fit, ut ibi omnia sint accipienda sacramentaliter, neq; requiritur, ut in sacramentis plus aut donetur, aut exigatur, quã sacramentalis ratio postulet.

In sacramentis õnia pare ſt ut accipiãt

Deinde

Deinde si expendamus quid in ipsa cœna postrema Christus egerit, rem facile deprehendemus, corpus suum dedisse asseritur. Si interrogemus ulterius, quale dedit? se expedire non possunt. Videntur aliqui dicere, eum dedisse quale habuit, nimirũ passibile, & mortale. Cęterum tale corpus cum illis cõditionibus quas tũc habuit, nõ potuit carnaliter, vt isti somniãt, cõtineri in paruis frustulis panis: Verũ alij, qui sibi uidentur prudẽtiores, aiunt Christũ in seipso corpus & mortale et passibile habuisse, sed in pane dedisse glorificatum, & spirituale corpus. Tunc facit aduersus istos quod legimus in verbis domini, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: Et sanguis qui pro uobis effundetur, ubi aperte contrahit sermonem, et ad corpus quod tunc habuit, & ad sanguinem quo ea hora utebatur. Nam ista glorificata & impassibilia non accepit, nisi post resurrectionem. Sed fac ita esse vt ponunt. Argumentamur, Conditiones corporis passibilis & glorificati opponuntur, ita vt non possint simul esse, atq; eodem tempore in eodem subiecto, vnde sequitur, si uultis eas poni in corpore Christi pro eodem tempore, vt geminum faciatis Corpus CHRISTI.

antur sacramentaliter. 39.

An glorificatũ corpus, ã passibile dederit Christus.

Experientia & historiæ nos docent, non dandam transubstantiationem, quia Victorem pontificem Romanum periisse scribunt, hausto veneno ex calice. Atq; Henricus imperator venenum hausit ex pane accepto in Eucharistia. Si omnia illic transubstantiantur, & solum accidentia supersunt, qui potuerunt ista fieri? 40.

Scimus sacramenta quęlibet, vt ipsimet aduersa- 41

rij loquuntur, materia & forma constare, Materiam dicunt symbola, uel elementa, formam uero id quod adijcitur uerbo. Quod autem componitur ex duobus, non debet abijcere alterum, ut nihil ex eo nisi accidentia supersint, alioquin compositionis & coniunctionis natura non seruaretur, ideo concluditur panis & uini substantias remanere.

Materia sacramẽti nõ potest abijci.

42. Dumq; non animaduertunt, corpus Christi exuitur per eos, quantitate, situ, & distantia partium, ita ut cogatur esse totum eius corpus in minima panis particula.

Corpus Christi exspoliant quãtitate

43. Sacramentum hoc non tantum dicitur corporis Christi seruatoris nostri, sed etiã corporis mystici. Vnde Paulus in hac .1. epist. ad Cor. dicebat, Vos corpus Christi estis, Itemq;, Multi sumus unus panis, & unum corpus, qui de uno pane participamus, Et Augustinus uigesimo secundo de ciuitate Dei, cap. 10. Christianos inquit non offerre sacrificium martyribus. Sacrificium uero est corpus Christi, quod martyribus non offertur, quia ipsi id sunt, uidelicet corpus Christi. Itaq; cum hoc sacramẽtum sit utriusq; corporis, quemadmodum non ponunt, vt panis transubstantietur in corpus mysticum, ita non exigetur, vt vere & proprie conuertatur in corpus domini, cum vtriusq; corporis ex æquo prædicetur sacramentum.

Panis non transubstantiatur in corpus mysticum, ergo nec in corpus Christi.

44. Et sequeretur ex ista opinione, tam fideles quam infideles, recipere corpus domini, quod à me alibi est improbatum duplici argumẽto. Primum, quod cum Christi corpus nõ auellatur à spiritu Christi, consequeretur impios spiritum Christi percipere. Deinde, cum infideles mortui sint, quoad interiorem

Impij non sumunt uerũ corpus Christi.

rem hominẽ, omnino carent instrumento quo spiritualia suscipiant. Et Augustinus aperte dixit non comedere corpus Christi, nisi eos qui sint ex eius corpore. Et Hieronymus lib. 4. in Hieremiam ca. 22. Quodq; infert non comedent & bibent, subauditur corpus & sanguinem saluatoris. Loquebatur autem de hæreticis. Idemq; in Isaiam cap. 66. Dum non sunt sancti corpore & spiritu, nec comedunt carnem Iesu, nec bibunt sanguinem eius. Et complura huiusmodi loca habentur ex patribus.

45. Et quod sępenumero hic multa miracula nobis obtendũt, non tã facile credẽdũ est, quia non solent miracula induci, nisi q; sint res nouæ et admirandæ, ex quorũ insueto euentu, pondus adijciatur verbo dei, etenim ibi homines admiratione ꝓcellũtur, & facile induci possunt ad Christi dogmata complectẽda. Sed hic nil visibile immutatur, & nihil est quod admirationẽ excitare valeat. Vnde frustra videntur à miraculis opem implorare. Virgo sane concipiebat ex spiritu sancto, sed hoc ipsa fieri sensit. Et si quãdo sunt aliqui miraculo cõuersi ad Christum, senserunt animũ suũ, et vitam immutari à pristina cõuersatione. Ast hic nil sentitur horũ miraculorũ quę cõfingũt, tantũ prędicantur, sed nulla ratione, vel experientia, uel scriptura, probari possunt.

Hic frustra à miraculis opem implorant.

46. Addas iam dictis, eodem modo se habere fractionem panis ad mortem, & passionem Christi, quo se habet panis ad corpus, fractio autem (vt asseuerant ipsi quoq;) sacramentum est, et symbolum passionis Christi, nec tamen in eam transubstantiatur, ita vt vere illam, ac realiter prędentem faciat, igitur neq; panis mutabitur ita in corpus, vt illud præsens

esse carnaliter efficiat, atq; ita cum ista sententia non habeat nisi λογομαχίας & Labyrinthos inextricabiles, ad pietatem non conducit.

Sed nunc de patribus videndum est an ita sentiãt.

47. Irenæus. IRENÆVS aduersus hæreticos Valẽtinianos Panem terrenum inquit, accepta uocatione à uerbo Dei, non amplius est communis panis, sed efficitur Eucharistia, quæ constat ex duabus rebus, nimirum terrena & cœlesti. In primis non negat Eucharistiã panem esse, nisi illum communem feceris. Postea dicit, ex duabus rebus constare, quarum una terrestris est, ut panis, altera cœlestis, ut corpus Christi. Atq; ut ex una parte retinetur veritas, scilicet quo ad corpus Domini, ita in altera est conseruanda, uidelicet quoad panem. Et addit per similitudinem, ita corpora nostra illam sumentia, non sunt amplius corruptibilia.

Tertullianus. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem, ait, Deum panem creaturam suam non abiecisse, quandoquidem illo corpus suũ repræsentauit. Et lib. 4. contra eundem Marcionem: Acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suũ illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est figura corporis mei. Figura autẽ nõ esset, nisi ueritatis esset corpus.

Origenes Origenes in Numeros homil. 16. Bibere dicimus sanguinem Christi, non solum ritu sacramentorũ, sed & cum sermones eius recipimus. Quod idem et Hieronymus quandoq; scripsit super Ecclesiasten capit. 3. Idem Origenes in Matthæum cap. 26. Panis iste, quem deus verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum. In Leuiticum homilia. 7. Est enim & in euangelijs littera quę occidit

cidit,non ſolum in veteri teſtamento.Si enim ſecũdum litteram ſequaris quod dictum eſt,Niſi manducaueritis carnem meam,et quæ ſequuntur. Et in eodem libro homilia.9. Non hæreas in ſanguine carnis, ſed diſce potius ſanguinem uerbi, & audi ipſum tibi dicẽtem,Quia hic ſanguis meus eſt, qui p uobis effunditur.Origines in Math. cap.15. Panis ſanctificatus iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in ſeceſſum eĳcitur. Et mox: Nec materia panis, ſed ſuper illum dictus ſermo, eſt qui prodeſt,nõ indigne domino, comedẽti illum.Idem cõtra Celſum li. octauo: Vbi pro collatis in nos beneficijs, gratias diximus,oblatis panibus veſcimur.

Cyprianus epiſt.6.primi libri ad Magnum dicit: Dominus de multorũ granorũ adunatiõe cõgeſtũ corpus ſuũ panẽ vocat, & vinum ſuum ſanguinem de botris atq; acinis pluribus expreſſum.Dumq; interpretatur orationem dominicam, corpus domini panem appellat: Et in ſermone de cœna domini inquit: Nos non acuere dentem,ſed tantum ſyncera fide panem frangere et manducare. In ſermone de chriſmate aperte dicit, ſacramenta habere nomina earum rerum,quas ſignificant. Quæ duo Auguſtinus uidetur ab eo mutuatus. Poſtremũ, in epiſt. ad Bonifaciũ. Alterũ vero cũ inquit,Quid paras dentem aut ventrem: crede et manducaſti, tractatu.25. ſuper Ioannem. Sed idem Cyprianus epiſt.3. li.2. ad Cæcilium, In vino inquit demonſtrari ſanguinẽ domini.Et cõtra Aquarios aſſerit, non poſſe uideri adeſſe ſanguinem Chriſti in calice,ſi vinũ ibi eſſe deſinat, quod fit per iſtorum trãſubſtantiationẽ. Et in ſermone de cœna domini, ſcribit mutari ſym

Cyprianus.

bola in corpus Christi, sed ita ut simile accipiat ab ipsomet Christo, ī quo natura humana apparebat, et diuina latebat. Ex quo simili vides eum velle, ut in Christo manserunt duæ naturæ, ita & in hoc sacramento seruatas esse. Cyprianus item epist. 3. li. 2. Quomodo nec corpus domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrunq; adunatū fuerit, & copulatum, & panis vnius compage solidatum, quo et ipso sacramēto populus noster ostēditur adunatus.

Athanasius. Et Athanasius exponens illa uerba, Si quis dixerit uerbum contra filium hominis, remittetur ei. Qui uero contra spiritū sanctū, neq; in hoc sæculo, neq; in altero remittetur ei, scribit: Et quantum esset corpus, ad hoc, ut totus mundus ex eo ederet? sed spiritualiter infert rem accipiendam esse, & iccirco dominum eo loco mentionem fecisse ascensionis suæ aduersus Capernaitas.

Basilius. Basilius in sua liturgia panem appellat ἀντίτυπον corporis Christi, atq; id post verba consecrationis.

Dyonisius Dionysius de Hierarchia ecclesiastica cap. 3. Pontifex opertum panem, et individuum aperit, et in frusta concidens.

Ambrosius. Ambrosius in expositione epi. 1. ad Corint. Cū agitur ut hoc fiat in memoriam Christi, & mortis eius inquit, nos in edendo et potando, carnem et sanguinem Christi, quæ oblata sunt, significamus. Atq; idem circa eundem locum, nos ait in typum sanguinis Christi accipere calicem mysticum. Et lib. 4. de sacramentis cap. 4. ubi ponit mutationem symbolorum, tractat etiam mutationem nostram in Christū et tamen transubstantiatio non ponitur in his qui Sacramentum accipiunt. Idēq; eodē de sacramen-

tis

ſis lib. 4. cap. 4. Hoc igitur aſtruamus, quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti, conſecratione. Et mox, Si tanta vis eſt in ſermone dominī, vt incipiant eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ erant, et in aliud commutentur?

Hieronymus aperte ſuper Mathæum inquit, pane ac uino repreſentatum eſſe corpus ac ſanguinem Domini. *Hieronymus.*

Chryſoſtomus ſuper epiſtola poſteriore ad Corinth. inquit, non ſolum quod nobis proponitur in menſa eſſe corpus Chriſti, ſed etiam pauperes, quibus tenemur benefacere, quandoquidem ille idem qui ait, Hoc eſt corpus meum, verbo ſuo item dixit ſe beneficio affici, & egere in pauperibus. Idem in homilia. 11. ſuper Mathęum opere quod dicitur Imperfectum, inquit in ſanctis vaſis non eſſe corpus Chriſti & ſanguinem Chriſti, ſed myſterium corporis & ſanguinis Chriſti. Idem in caput. 11. 2. ad Corinth. homilia. 27. Quemadmodum Chriſtus enim & in pane & in calice, in meā commemorationem facite, dixit. Idem in pſalmū. 22. Paraſti in conſpectu meo menſam. Vt quotidie in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti panem & uinū ſecundum ordinem Meſchiſedech, nobis oſtenderet in ſacramento. *Chryſoſtomus.*

Et Emiſenus, quem citant de conſecratione diſtinctione. 2. Videturq; ponere mutationem ſymbolorum, idem ipſe meminit mutationis noſtræ in Chriſtum. *Emiſenus*

Auguſtinus complura habet hac de re teſtimonia ſuper pſalmo. 89. Non hoc corpus quod uideturis *Auguſtinus:*

com-

comeſturi eſtis, nec bibituri hunc ſanguinem, quē ſunt effuſuri. Myſterium eſt quod vobis dico, quod ſi ſpiritualiter intelligatur, uiuificabit. De trinitate lib. 3. cap. 10. Panis ad hoc factus, in ſacramento accipiēdo conſumitur. Neq; eſt quod Roffenſis hoc dictū conetur trahere ad panes propoſitionis. Nam eius interpretationem alias oſtendimus nō conuenire nō nullis argumentis. Primo, quia ſi facilem ſenſum ſequaris, et eum qui prima fronte tibi ſe offert, quemq; verba præ ſe ferunt, aperte uidebis ſermonē fieri de Euchariſtia. Et Eraſmus in libris Aug. quos emendauit in margine aſcripſit, Euchariſtia. Deinde paulo poſt in eodem capite, dumq; idem tractat, Euchariſtiæ mentionem tam aperte facit, ut etiā aduerſarius id negare non poſsit. Ac de eadem Euchariſtia ſcripſerat ſupra in eodem libro cap. 4. Cum incoharet eandem tractationem. His addas, expreſſe in his verbis quæ tractamus, aperte nominari ſacramentum, quod ſi voluiſſet communiter accipi, non minus conueniebat his quæ antea recēſuerat, nimirū ſerpenti æneo, et lapidi erecto per Iacobum, q; pani propoſitionum. Sed in illis hanc vocem ſacramenti non expreſsit, quam poſtea vt intelligamus eū de Euchariſtia loqui noluit ſuppreſſam. Poſtremo dicit, Panis ad hoc factus, in accipiendo ſacramento cōſumitur, quod panibus propoſitionis minime cōuenit. Non enim ad hoc fiebant, ut comederentur, ſed ut diſpoſiti in menſa, corā domino manerent. Vnde פנים hebraicę dicti ſunt, Temere autem, ſiue per accidens eſt poſtea conſequutum, vt manducarentur, ne ſcilicet coram domino putreſcerent. Ob id enim mutabantur ſingula quaque

panim.

que hebdomada. Cũq; semel deo dicati essẽt, hũc honorẽ illis exhiberi voluit, vt à sacerdotibus mãducarẽtur. Sed panis nostrę Eucharistię uere ad hoc est factus ut in accipiendo sacramento absumatur. Dictisq; iã argumẽtis unũ addo qđ robustius est cęteris. Inquit enim Aug. cõsumitur, tẽpore presenti, nõ aũt cõsumebatur, qđ fieri oportuit, si de veteris testamẽti figura & ceremonia, locutus esset, De fide ad Petrũ ca. 19. appellat sacramentũ panis et vini. De memoria Chri & mortis eius, abũde eũdẽ Petrũ in fide instituit, huius uero trãsubstãtiationis nec ullũ uerbũ facit, quã isti hodie tantopere urgẽt. Contra Faustũ ait li. 20. ca. 21. Carnẽ & sanguinẽ Christi uictimarũ similitudine, fuisse nobis in veteri testamẽto, pmissã, in cruce reipsa exhibitã, sed in sacramẽto p memoriã cœlebrari. Et. 21. de ciui. dei. c. 25. apte asserit impios rẽ sacramẽti, id est corpus Chri nõ comedere. Nã inquit nõ est existimandus comedere corpus Christi, qui nõ est in corpore Christi, et in quo Christus nõ manet, neq; ipse manet in eo. Atq; sup Ioa. tract. 20. habet consimilia. In 30. uero ait, corpus Christi certo quodã in loco esse in cœlo, veritatẽ vero eius ubiq; diffusam, qđ ideo dicit quia ueritas res est spiritualis semperq; fidelibus adest. Et cõmunicantes ubicunq; sint, Christũ fatẽtur & credunt, uerũ habuisse corpus, et non fictitiũ, ut hęretici sentiebant. Contra Adimantum Manichęũ ca. 12. scribit. Nõ dubitauit dominus dicere, Hoc est corpus meũ, cum tamen daret signum corporis sui. Neq; ualet si dixeris, et signũ tradidit, et rem, qa nõ huc spectauit Augustinus, sed ostẽdere uoluit, locutionẽ esse tropicã, et similẽ alteri, quã iducit ex Deu

ter. Sāguis est aīa. Iccirco inquit, nō dubitauit dñs, quia in tropis āliqd audemus. De doctrina Chriana lib. 3. cap. 6. docuit figuratā esse locutionē, quæ habetur 6. Io. Nisi mā ducaueritis carnē filij hominis, et quę sequūtur, quia flagitiū uidetur pcipi. Nā grauius est carnē hominis comēdere, quā illū interficere et sanguinē bibere quā effūdere. Ideo inquit figura est pcipiēs, ut suauit & utiliter in memoria recōdamus, carnē Christi pro nobis fuisse crucifixā, & uulneratā. In epla ad Bonifaciū dixit apertissimè, sacramēta nomē habere earū rerū, quarū sacramēta essēt et noīatim expresit sacramētū corporis Christi, esse corpus Chri quodāmodo, et subdit sacramētū sānguinis Christi, sāguis Christi est. Atq; id totū scripsit ut indicaret, baptismū esse sacramētū fidei, & idcirco posse dici, fidē esse, et paruulos baptizatos fidem habere, eo quod huiusmodi sacramentū percipiāt. Et ne quis dicat signa esse præsētis rei, ut isti loquūtur, substātialiter, expendātur huius patris inducta similia, quod scilicet dicamus, quando sumus prope Pascha, crastinā aut perendinā dñi passionē, et die dominico, Christus hodie resurrexit, cum tamē ista nūc minime sint præsentia, & longe antea facta fuerint, deinde hic baptismū paruulorū asserit fidē esse, quā tamē pręsētē paruuli nō habēt. Quin et idē, ut habetur de consecratione dist. 2 cap. Interrogo uos, eiusdē negligētię peccatū ait esse, sine uerbū quod prędicatur, animis nostris excidere, & partē sacramēti in terrā cadere, quod si daretur hęc transubstantiatio, parum conueniret, longe enim uideretur absurdius, ipsum Christi corpus cadere, aut cōculcari, quam aliquā partem uerborū sacrorū audire parum

Admisceatur locus q est in li 2 contra aduersarium legis & phetarum cap. 9.

rũ attente. In psal. præterea. 3. inquit Christũ adhibuisse, cõuiuio Iudã, cũ figuram corporis sui cõmẽ dauit: Solẽt dicere figurã aut signũ in hoc sacramẽto corpus Chri uelatũ accidẽtibus esse sumet, ut pẽdebat in cruce corpus exanime, atq; exangue. Et sãguinẽ sub accidẽtibus vini latentẽ, figurã et signum esse effusi sanguinis in ara crucis. Sed quis nõ videat istorũ figmẽta inania esse? Nã signũ et figura poni debet, quę sit sensibilis, et magis nota, q̃ sit res quæ significatur. Iccirco magister Sentẽ. ex Augustino sacramentum definiuit, q̃ esset uisibile signum inuisibilis gratię. Cæterum corpus Christi tectum accidẽtibus (ut ipsi ponũt) æque obscurũ est, atq; illud quod in cruce pẽdit, imo si liceat, uerũ dicere, magis ignotũ, et obscurũ, q̃ illud sit quod significatur, quę sunt cõtra naturã et signi, et figurę. Facilius enĩ à nobis et cognoscitur, et cogitatur, corpus, quomodo pependit in cruce, q̃ vt statuit, ab eis ĩ eucharistia

Leo papa in epła ad Clerũ et plebẽ Cõstãtinopolitanã scribit hãc distributionẽ mysticã esse, spiritualẽ alimoniã, et cœlestẽ uirtutẽ, nos hic accipe, vt trãseam⁹ in carnẽ Chri q̃ p nobis carnẽ nr̃am accepit. *Leo Papa*

Cyrillus lib. 4. cap. 14. super Ioannem, sic credentibus discipulis fragmenta panis dedit, dicens, Accipite. Idem in epistola ad Calosyrium, Decebat, ergo eum nostris vniri corporibus quodammodo per sacram eius carnem, et precioſum eius sanguinem, quę accipimus in benedictione uiuificatiua in pane et vino. *Cyrillus.*

Nunc producemus Theodoritũ qui Cyri fuit Episcopus, vixit Cyrilli tempore, & in synodo Ephesina fuit atque Calcedonensi, habitusq; est eruditis-

simus, atq; eloquentissimus. Cumq; in Ephesina synodo contigisset dissidiũ inter Ioannem patriarchã Antiochœnũ & Cyrillũ Alexãdrinũ, visus est Theodoritus adhærere Antiocheno, sed tamen res est cõposita, & in Synodo Chalcedonẽsi fuit agnitus Theodoritus vt vir doctissimus, & sãctũ Christi ecclesię membrũ, imò libris quos cõscripsit, ex professo aduersatur Nestorio, & cõtra ipsũ nominatim agit. Liber est Romæ impressus. Viderũtq; Papistæ illum apertissimè aduersari transubstantiationi, et excusarunt duplici nomine. Primum q̃ eccleſia ista de re nondum pronunciauerat, quasi nos quæramus, quidnam Papa cum suis Cardinalibus, uel Cõstantiæ, vel in Synodo, vbi fuit condẽnatus Berengarius, statuerint. Et nõ potius, quidnã apud veterẽ eccleſiã & prædicatũ et creditũ fuerit. Deinde aiunt istũ virũ scribendo aduersus hęreticos, cũ de mysteriis ageret, nimiũ declinasse in alterã partẽ, et sic aduersatũ esse trãsubstantiationi, quo magis aduersarij cõuincerẽtur, sed quã friuola sit hęc excusatio potest ex cõtextu scriptoris patere, ubi non videas esse unius aut alterius verbi lapsum, sed totũ argumentũ, atq; neruus, petitur à natura sacramẽti, ita vt si admisceas transubstãtiationẽ nihil cõcludatur, imò hæretici palmã auferant. Addunt eum de Eucharistia honorificentius, interdũ loqui in hoc eodẽ libro, sed omnibus inspectis nusquã tã honorifice loquiturus cõstitutę iã nostræ sentẽtiæ aduersẽt. Contra illos agit qui Christum habuisse uerum corpus inficiabantur, & aiebant corpus eius tempore ascensionis prorsus in naturam diuinam fuisse conuersum. Primum inducit patriarchæ Iacobi

vati-

uaticinium vt sibi pręstruat viam ad argumentum deducendum ex sacramentis. Verba hæc sunt.

ΠΛΑΥΝΕΙ γὰρ οἶνος τῶν σολλῶν ἀντὶ τοῦ τῆς φυλῆς τῶν περιβολῶν ἀντὶ τοῦ. Interrogatęq; rursus Orthodoxus: ὁρᾷς ὅτι ἄμωμον ὁ κύριος ἑαυτὸν προσηγόρευσεν, & subdit. αἷμα ἄρα σαφυλῆς τὸ τοῦ σωτῆρος, προσηγόρευσεν αἷμα. & paulo post. ὥσπερ γὰρ ἡμεῖς τὸν μυστικὸν τῆς ἀμώμου καρπὸν μετὰ τὸν ἁγιασμὸν, αἷμα διαφανῆ ὀνομάζομεν. οὕτω τὸ ἀληθινῆς ἀμώμου τὸ αἷμα. AC rursus. ὁρᾷς ὅτι ἄρτον ὁ θεὸς τὸ οἰκεῖον προσηγόρευσε σῶμα; & sequitur. καὶ ἐπὶ τῷ ποτηρίῳ δὲ τῶν μυστηρίων, οἶνον ὠνόμασεν; Et ad sacramenta accedens, ita dicit. Ἐν δὲ γε τῇ τῶν μυστηρίων παραδόσει, σῶμα τὸν ἄρτον ἐκάλεσε καὶ αἷμα τὸ κρᾶμα. Et subdit ea quæ superius ego docui de conuersione propositionum uel immutatione nominum. In Ioan. cap. 6. & in postrema cæna Domini, ita ut idem & tunc & nunc sit actum nisi quod inuersa sunt nomina, & transmutatę propositiones, unde sic dicit: ὁ δὲ γε σωτὴρ ὁ ἡμέτερος ἐν ἀλλαξε τὰ ὀνόματα. καὶ τῷ μὲν σώματι, τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα. τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος οὕτως ἄμωμον ἑαυτὸν ὀνομάσας, αἷμα τὸ σύμβολον προσηγόρευσεν. Quęrit hereticus quæ sit ista causa immutationis nominũ, vt ita symbola nomina rerum accipiant, & res nomina symbolorum. Orthodoxus declarat luculẽter, quid habeat utilitatis hęc trãsnominatio. Hęreticus primum dicit: Ἐβουλόμην δὲ τὴν αἰτίαν μαθεῖν τῆς τῶν ὀνομάτων ἐναλλαγῆς. Orthodoxus respondet. ἠβουλήθην γὰρ τοὺς τῶν θείων μυστηρίων μεταλαγχάνοντας, μὴ τῇ φύσει τῶν βλεπομένων προσέχειν, ἀλλὰ διὰ τῶν ὀνομάτων ἀλλαγῆς πεισθῆναι τῇ ἐκ τῆς χάριτος γεγενημένῃ μεταβολῇ. Et mox: οὕτως τὰ ὁρώμενα σύμβολα τῇ τοῦ σώ-

ματος & αἵματος προσηγορία τετίμηκεν, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τὴν χάριν τῇ φύσει προσθεὶς ὡς. Hic habes nullam esse trāsubstantiationem, sed tantū mutari symbola quoad gratiā, & sacramenta fiunt. concludit postea suam argumētationē, & hęc symbola sunt corporis, et nō diuinitatis, utq; non mutantur in corpus Christi, ita etiā Christi corpus verè corpus est, et in naturam diuinam minime transit. Atq; ista habentur, dialogo primo qui dicitur immutabilis, græce ἄτρεπτος pagina. 8. In secundo vero dialogo qui dicitur ἀσύγχυτος pagina. 38. ita scribit de mysterijs, quomodo se habeāt erga corpus Christi, Εἰ τοίνυν τὸ ὀντως σῶμα ἀντίτυπα δεῖ, τὰ θεία μυστήρια, σῶμα ἄρα δεῖ νῦν τὸ δεσποτικὸν τοῦτο σῶμα. οὐκ εἰς θεότητος φύσιν μεταβληθὲν, ἀλλὰ θείας δόξης ἀναπλασθέν. Pergit hęreticus interrogare. τί καλεῖς τὸ προσφερόμενον λαῷ μετὰ τὴν ἱερατικὴν ἐπίκλησιν; Respondet orthodoxus. τὴν ἐκ τοιῶνδε ἀσυγκράτων τροφήν. Rursus quęrit socius, qui personam hęretici sustinet: τὸ δὲ ἕτερον σύμβολον, πῶς ὀνομάζομεν; Respondet orthodoxus. καινὸν καὶ τοῦτ' ὄνομα, σώματος εἰδος σημαῖνον. vrget ad huc socius: μετὰ δὲ γε τὸν ἁγιασμὸν, πῶς ταῦτα προσαγορεύεις; Respondet orthodoxus. σῶμα χριστοῦ & αἷμα χριστοῦ. Ex interrogatis concludit hæreticus argumentationē suā, atq; vult ex cōuersione symbolorū in corpus Christi inferre etiam conuersionem corporis CHRISTI in naturam diuinam, et inquit, Ὥσπερ τοίνυν τὰ σύμβολα τὸ δεσποτικὸν σῶμά τε, καὶ αἷμά τος, ἄλλα μὲν ὄντα πρὸ τῆς ἱερατικῆς ἐπικλήσεως. μετὰ δὲ γε τὴν ἐπίκλησιν μεταβάλλεται, καὶ ἕτερα γίνεται. οὕτω τὸ δεσποτικὸν σῶμα μετὰ τὴν ἀνάληψιν, εἰς τὴν θείαν μετεβλήθη τὴν θείαν. Retorquet orthodoxus argumentum

mentū in authorē, et inquit, Imò potius ex sacramē-
tis cōcluden dū esse corpus Chri, non transiuisse in
diuinitatē, qa panis et uinū p sāctificationē minime
naturā mutāt, sed tm illis adjcitur gra, quēadmodū
corpori, Christi adiuncta est īmortalitas, et inquit,
Ἐάλως, αἷς ὕφλωσας ἀρκυσίν, ἀδὲ γὰρ μετὰ τὸν ἁγιασμὸν
τὰ μύστικὰ σύμβολα τῆς οἰκείας ἀξίστα) φύσεως. μένει γὰρ
ἐπὶ τ προτέρας οὐσίας, καὶ τοῦ σχήματος, καὶ τ εἴδους. καὶ
ὁρατά ἐστι, καὶ ἁπτὰ, ὅια καὶ πρότερον ἦν, νοεῖται δὲ ἅπερ ἐ-
γένετο, καὶ πιστεύεται, καὶ προσκυνεῖται, ὡς ἐκεῖνα ὄντα ἅπερ
πιστεύε). παρέθες τοίνυν τῷ ἀρχετύπῳ τὴν εἰκόνα, καὶ ὄ-
ψει τὴν ὁμοιότητα, χρὴ γὰρ ἐοικέναι τὴ ἀληθείᾳ τὸν τύπον.
καὶ γὰρ ἐκεῖνο τὸ σῶμα τὸ πρότερον εἶδος ἔχει, καὶ σχῆμα,
καὶ περιγραφὴν, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν τὴν τοῦ σώματος οὐ-
σίαν, ἀθάνατον ἡ μετὰ τὴν ἀνάστασιν γέγονε. καὶ κρεῖττον
φθορᾶς. καὶ ἐξ ἐξεως ἐξιόδη καθέδρας, καὶ παρὰ πάσης
προσκυνεῖτ τῆς κτίσεως, ἅτε δὴ σῶμα χρηματίζον τὸ δε-
σποτικὸν τῆς φύσεως. Querit socius: Cū panis mutet suā
appellationē postq̄ est sanctificatus, qui fiat ut cor-
pus in Christo post resurrectionē ad huc appellet
corpus, cū deberet iuxta analogiā sacramentorū, ap
pellari deus, ut panis dicitur corp⁹ Chri, et ita habet
καὶ μὴν τὸ μυστικὸν σύμβολον, τὴν προτέραν ἀμείβει προ-
σηγορίαν. οὐκέτι γὰρ ὀνομάζεται ὅπερ πρότερον ἐκαλεῖτο,
ἀλλὰ σῶμα προσαγορεύε). χρὴ τοίνυν καὶ τὴν ἀληθειαν,
θεὸν, ἀλλὰ μὴ σῶμα καλεῖσθαι. Ad hāc obiectionē respō
det orthodoxus, panē sacramētalē nō tātū appellari
corpus Chri, ut nomen panis prorsus amiserit, sed
dici panem vitę, ita et corpus Christi iā glorifica-
tum, appellari diuinū et viuificū corpus, et inquit,
Ἀγνοεῖν μοι δοκᾶς· ἐ γὰρ σῶμα μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄρτος ζωῆς
ὀνομάζετ. ὅτως αὐτὸς ὁ κύριος προσηγόρευσε, καὶ αὐτὸ δὲ
τὸ σω-

τὸ σῶμα, θεῖον ὀνομάζομεν σῶμα, & ζωοποιὸν καὶ ἀναστατικὸν, καὶ κυριακὸν, διὰ ἀσκοῦντες, ὡς ἂν κοινόν τινος ὄντων ἀνθρώπων, ἀλλὰ τὸ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. ὃς θεὸς ὢν καὶ ἄνθρωπος. Ἰησοῦς γὰρ χριστὸς χθὲς, καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς & εἰς τοὺς αἰῶνας. Quæ omnia si vis latina habere, fusius quidē scripta, & altius repetita, nunc subijciam.

ORTHODOXVS. Nostin quod panē Deus proprium corpus suum uocarit? SODALIS. Noui. ORTH. Atq; alias rursum carnē suā frumentum appellarit? SO. Noui & hoc. Audiui enim illū dicentē, Venit hora ut glorificetur filius hois. Et nisi granū frumenti deiectū in terrā mortuū fuerit, ipsū solū manet, Si uero mortuū fuerit, multū fructū pfert. OR. In ipsa nimirꝝ mysteriorū traditiōe, corpus panē vocauit, & sanguinē poculū mixtū? SO. Sic sane noiauit. OR. Sed & secūdū naturā corpus, corpus utiq; suū & sāguis uocari potuerit? SO. Cōfessū est. OR. Imo uere ipse seruator noster cōmutauit nomina & corpori quidē symboli nomē dedit: Symbolo uero corporis nomen. Ad eūdem itē modum, cū seipsum uitem esse dixisset, Sanguinem ipsū symbolū appellauit. SO. Id quidē uere dixisti. Vellem autem & causam discere mutationis nominū. OR. Manifestus est scopus ijs qui sunt initiati sacris. Voluit enim eos, qui diuina mysteria participāt, ne ad eorū quę uidētur naturā attēdant, sed per nominū mutatiōem credant illi quę ex grā facta est transmutationi. Qui enim naturale corpus suū frumentum & panē uocauit. Atq; item seipsum, uitem nominauit, idem ipse etiam ea quæ uidentur Symbola corporis & sanguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturam ipsam trāsmutans, sed adijci-

adijciens gratiam naturæ? SO. Sane myſticè dicta ſunt myſtica. Et clare manifeſtata ſunt quæ nõ ſunt omnibus nota. ORTH. Quandoquidẽ igitur profitetur & ſtolam & veſtem à Patriarcha dominicũ vocari corpus, nosq; in ſermonem de diuinis myſterijs ingreſſi ſumus. Dic re vera cuius nam ſymbolum ac typum eſſe putas, ſanctiſsimam eſcam illam? Ipſiuſne diuinitatis Chriſti domini, an vero corporis & ſanguinis ipſius? SO. Sane eorum ipſorum, quorum & appellationes receperunt. OR. Corporis ne & ſanguinis dicis? SO. Sic dico. OR. Vere dixiſti. Etenim dominus ſumpto ſymbolo, non ait, hoc eſt diuinitas mea, ſed hoc eſt corpus meum. Ac rurſum, hoc eſt ſanguis meus, Et alias, Panis autem quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita. SOD. Vera equidem hæc omnia, Diuina enim verba ſunt. OR. Porro ſi ſunt vera, corpus vtiq; habebat Dominus. SOD. At ego illum incorporeum eſſe dico. OR. Sed fateris illum habuiſſe corpus. &c.

Ex ſecundo Dialogo.

SODAL. Omnem ſane lapidem mouere oportet iuxta prouerbium, ut ueritatem aſſequamur, inprimis uero in propoſitis dogmatibus diuinis. OR. Dic igitur, quorum nam ſymbola ſunt myſtica illa ſymbola, quæ à ſacrorum miniſtris, Deo offeruntur? SOD. Corporis & ſanguinis dominici. OR. Veri corporis, an non veri? SO. Veri. ORT. Optime, oportet enim eſſe imaginis Archetypum, ſiquidem pictores naturam imitantur, & eorum quę videntur imagines, pingunt. SO. Vera dicis.

OR. Si igitur existentis corporis, exemplaria sunt diuina illa mysteria, corpus igitur est etiam nunc, ipsum dominicum corpus, non autem in diuinitatis est naturam commutatum, sed diuina gloria repletum. SO. Oportune sermonem hunc de diuinis mysteriis mouisti, inde enim tibi ostendam, dominici corporis in alteram naturam comutationem. Responde igitur ad meas questiones. ORT. Respondebo. SO. Quid vocas munus illud, quod offertur ante sacerdotalem inuocationem? ORTH. Non oportet aperte loqui, est enim uerisimile, aliquos nondū initiatos adesse. SO. Enigmatica responsio esto. OR. Escam ex talibus seminibus. SO. Alterum vero symbolum quomodo nominamus? OR. Cōmune & hoc nomen, speciem poculi significans. SO. Post sanctificationem quomodo ista appellas? OR. Corpus Christi, & sanguinem Christi. SO. Et credis te accipere corpus & sanguinē Christi? OR. Sane credo. SO. Quemadmodū ergo corporis & sanguinis dñici symbola, alia sane sunt ante sacerdotis inuocationē, transmutātur autem post ipsā inuocationē, & alia fiunt: sic & corpus dominicū post assumptionē in diuinā est substantiā trāsmutatū. OR. Captus es ijs, quę tetēderas rebus. Necp enī post sāctificationē, mystica symbola illa propria sua natura egrediuntur, manent siquidē in priore sua substantia, et figura, et specie, adeocp & uidentur, & palpantur, quemadmodum & antea: Intelliguntur autem quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, tanquam ea existentia quæ creduntur. Confer itacp cum Archetypo imaginem, & uidebis similitudinem. Oportet enim figuram conue-

Nota symbola non abijcere naturam pristinam

nire

nire cum ueritate. Etenim illud ipsum Corpus habet sane priorem suam speciem, et figuram, et circumscriptionem, et (ut simpliciter dicam) etiam ipsam corporis substantiam. Immortale autem factum est post resurrectionem, et supra corruptionem, et dignum habitum est sede, quæ est ad dexteram Dei, et ab omnibus creaturis adoratur, tanquam existens corpus Domini ipsius naturæ. SO. Attamen mysticum illud symbolum, priorem mutat appellationem, neq; enim postea nominatur, quod prius uocabatur, sed Corpus uocatur. Oportet igitur ipsam ueritatem, Deum iam, non autem amplius Corpus uocari. ORT. Ignarus mihi videris, non enim corpus solum, sed et panis uitæ uocatur, sic enim Dominus ipse uocauit. Quin et hoc corpus diuinum, corpus uocamus, et uiuificum et herile, et dominicum, docentes, quod non sit commune cuiusuis hominis corpus, sed domini nostri Iesu Christi, qui Deus est et homo: Iesus enim Christus, heri et hodie, quod idem ipse etiam in secula.

Chrysostomus.

Chrysostomus ad Cesariũ monachũ, tẽpore secũdi exilij sui cõtra Appollinarẽ et alios, qui diuinitatẽ et humanitatẽ in Christo cofũdebãt, Habetur in bibliotheca Florentina hęc epistola, licet non sit impressa. Et Deus et homo est Christus: Deus propter impassibilitatem, Homo propter passionẽ, unus filius, unus Dominus, idẽ ipse procul dubio, unitarũ naturarũ, unã dominationẽ, unã potestatẽ possidẽs, (etiãsi nõ cõsubstãtiales existũt) et unaquęq; incõmixta proprietatis cõseruat agnitionem, ppter hoc quod incõfusa sunt duo, Sicut enim anteq; sanctificetur panis, panem nominamus, diuina autem illud

Exemplar extat apd R.D. Arach. Canotarieñ.

sanctificanti gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permansit, et non duo corpora, sed vnum filij corpus prædicatur. Sic & hæc diuina ἐνιδρυσάσης, id est, inundante corporis natura, vnũ filium, vnam personam, vtraq; hæc fecerunt.

Hesychius

Hesychius in libro 20. super Leui. cap. 8. Propterea carnes cum panibus comedi precipiens, ut nos intelligeremus, illud ab eo mysterium dici, quod simul panis & caro est.

Gelasius.

Gelasius aduersus Entychetem scripsit in sacramento Eucharistię, substantiam & naturam panis & vini minime desinere esse, & facit collationem huius sacramenti cum Christo, in quo manet salua utraq; natura, & diuina & humana, sicuti in hoc sacramento, natura panis et corpus Christi.

Gregorius.

Gregorius in regiſtro, tam azymum quàm fermentatum dum sumimus, vnum corpus domini saluatoris efficimur.

Bertramus.

Bertramus, in libello de corpore & sanguine domini ait de Symbolorum naturis, quod secundum creaturarum substantiam, quod fuerunt ante consecrationem, hoc & postea consistunt.

Bernardus

Bernardus in sermone de cœna domini, manifeste proponit simile de anulo, quo accipit quispiam uel coniugalem fidem, vel possessionem alicuius dignitatis, ut in Episcopis ordinandis contingit, ubi anulus, aut pedum, uel infula signa sunt, traditarum & concessarum rerum, nec tamen vana. Nam certissimè largiuntur quæ significant, quod idem fieri in sacramentis ostendit.

NVNC sunt argumenta istorũ dissoluenda quibus

bus nititntur ſuam tranſubſtantiationem probare. Quoad primum, reſpondemus Chriſtum promiſiſſe ſuam carnem, vel ſuum corpus aut ſanguinem, in cibū & potū, idq; 6. Ioan. Quod præſtat quoties illū uere pro nobis mortuū credimus, Pręſtitit etiā cum in cœna hoc ſacramentum inſtitueret, nam illi māducationi ſpirituali addidit ſymbola. Obijciebāt autē maxime, Hoc eſt corpus meū, de veritate cuius dicti eſt controuerſia, ſed tantū quo ad modū, nam vtriq;, tam ipſi quam nos contendimus propoſitionem veram eſſe, et de ſenſu tantummodo certatur: Illi aſſeuerant propoſitionem claram eſſe, & nos uicissim monemus, quod Auguſtinus de doctrina Chriſtiana docet, non eſſe interpretandum unū locum, ut cum multis alijs pugnet, ſed ita vt cū multis alijs cōſentiat. Neq; oportet ſemper obijcere per ſpicuitatē ſenſus, alioquin cū dicitur, Faciamus hominem ad imaginem et ſimilitudinē noſtram ἀνθρωπομορφίται inſurgunt & inferunt, Deū habere corpus & animam, & cętera membra, ut ea conſpicimus in homine formata. Tu dicis hāc ſimilitudinem ad animum referendam, quia per illam dominatur homo cęteris creaturis, inſtar dei. Sed illi aiunt illic de homine iſta ſcribi, et te fruſtra conari quod pronunciatur de toto, attribuere parti, nimirum animę. Tu rurſus obijcis, Deum ſpiritū eſſe, atq; ſpiritum non habere carnem & oſſa, et ſic ex alijs locis ſcripturarum huius unius ſenſum captas. Ita dicebāt Ariani, clarum ſe habere ſenſum illius loci: Pater maior me eſt. Tu hoc ad naturam humanam contrahis, quia in alijs locis tibi demonſtratur Chriſti diuinitas, ut pri. Ioan. et in epiſtola ad Romanos cap. 9.

Senſu propoſitionis Hoc ē corpus meum

Sententiæ quæ uidentur planis ſiue haud ſemper intelligendæ ſūt abſq; interpretatione

& quinto cap. Ioan. epist. Dicit Christus, Qui non habet gladium sibi emat: Quo uidetur ad ulctionē incitare, quod si alia loca respexeris, figurate videas dici. Habet Paulus Absq; intermissiōe orate. Emerserunt ἐυχῆται, qui existimarunt perpetuis et submurmuratis orationibus, incumbendum: Cū tamē alibi dicatur, Qui suorum, & maxime domesticorū, curam non habet, abnegauit fidem, atq; infideli est deterior: Et rursus, Omnia cum ordine fiāt. Et, qui non laborat non manducet. Chiliastę, id est, millenarij, putarunt se clarissimum habere verbū in Apocalypsi cap. vigesimo, de mille annis, quibus Christus erit regnaturus cum suis. Atq; Sabelliani dixerunt non esse discrimen inter patrem et filium, ex illo loco: Ego & pater vnum sumus. Item: Philippe, qui uidet me, uidet & patrem: Atq;, vt ego in patre, ita et pater in me manet. Ista dicebant esse clara, & pro se facere. Ebionitæ posuerūt Christum meram creaturam, et aiebant, Deus deus meus quare me dereliquisti, non potuisse aliter intelligi; quandoquidem Deus nunquam se derelinquit. Et ex eo quod scribitur sexto Ioannis, Qui manducauerit meam carnem et biberit meum sanguinem, non morietur in æternum? consequi nonnulli dixerunt, eos qui legittime semel communicarint, non posse in ęternum perire: Quem errorem Augustinus de ciuitate Dei luculenter taxat. Et verba Cantici canticorum, si ea ut sonant prima fronte recipias, non sunt nisi amatoria carmina, siue epithalamium. Non oportet ergo semper prætexere verborum perspicuitatem. CHRISTVS dicebat, Qui habet aures audiendi, audiat, & qui legit, intelligat.

In interpretando uno loco, respiciendæ sūt alia.

telligat. Neq; conuenit, primũ ſẽſum qui ſe offert, eueſtigio arripere, neglectis et non conſyderatis aliĳ locis. Dicebat Chriſtus apoſtolis, Cauete à fermento Phariſæorum, Illi ſtatim putarunt eum de panibus loqui, cum de doctrina ageretur. Dicebat item, Lazarus amicus noſter dormit, Ibi quoq; dormitarunt apoſtoli, ac dixerunt, Si dormit, ſaluus eſt, Cum de morte loqueretur: Dominus aiebat rurſus, Soluite templum hoc, atque in triduo illud excitabo, nec intellexerũt eum agere de corpore ſuo. Qui obſeruauerit præcepta mea, non morietur in æternum, et hic arbitrati ſunt Iudæi agere illum de uulgari morte. Nicodemus nouam generationem craſſe intelligebat, Neq; minus errauit Samaritana, circa illam aquam, quam Chriſtus ei pollicebatur. Atque Hebræi hallucinati ſunt, cum illis Chriſtus diceret, Abraham vidiſſe ſuum diem, et fuiſſe gauiſum. Nõ itaq; ſẽper dicant nobis plana eſt hæc ſcriptura, Hoc eſt corpus meum, quia reſpondebimus eis, plana eſt, quo ad ſignificationem uocum. Sed earũ ſenſus non eſt planus, ut in ſententijs conſimilibus patet: Chriſtus eſt petra, Chriſtus eſt agnus, Vos eſtis corpus Chriſti, Multi ſumus unus panis. Omnia hęc verba ſũt dei, et poſſumus prędicare de eis, plana ſunt, perſpicua ſunt, nec tamen ulla eorũ tranſubſtantiationem inferũt. Quare non eſt, quod tantopere prætexatur verborum perſpicuitas. Oportet ex alijs ſcripturæ locis, et circumſtantijs, bene reſpicere quid hic agatur. Exponemus itaque propoſitionem altius repetendo. Voluit deus hominem ad ſe pertrahere amplis promiſsionibus, quod eſſet beaturus illum, facturuſq; felicem, et

Declaratio perſpicuæ propoſitionis: Hoc ẽ Corpus meum.

et quia sciuit incredulum cor nostrum, uoluit multa extare beneficia erga humanum genus, quibus ipsum ad se pelliceret. Vnde nõ solum donauit nos omnibus creaturis, uerum tempore diluuij, nostrũ genus alioquin male meritum, ab aquarum exitio eripuit. Abrahamo se declarauit admodum propitium: Isacho item, & nepoti eius Iacobo, fortunauit genus, ut augeretur in Ægypto. Et cum ibi opprimerentur, eos eripuit, terram dedit satis fœlicem, prouexit ad regiam et sacerdotalem dignitatem. Fuerunt attamen semper increduli homines, & de beneuolentia Dei erga se, parum sibi persuadebant, Quare propter infidelitatem illos eiiciebat in uarias captiuitates, & subinde liberabat. Demum, ut de illius bonitate non relinqueretur ambigendi locus, omnium beneficiorum summum cõtulit, nimirum filium suum humana carne indutum, ut in cruce pro salute nostra moreretur, quod beneficium tale fuit, ut Paulus ad Romanos dixerit, Quomodo nõ omnia simul donauit cum illo? Et ne intercidat, hoc sacramẽto Eucharistiæ refricari uoluit, ut fide uolueremus in animo, Christũ pro nobis ab eo traditum in mortem, et id credendo, manducaremus carnem et sanguinem eius. Quod ut efficacius fieret et panis et uini symbola fuerunt addita, quæ uehemẽtius nos permouerent, quam simplicia uerba consueuerint. Cum itaq; dicit, Hoc est corpus meum, non aliud intellexit atq; Ioannes 6. polliceretur, cũ diceret: Ego sum panis uitæ, De se loquebatur quo ad corpus & carnem in mortem traditam, uel potius tradendã, ut ex uerbis eius liquet. Nec aliud uolebat nisi ista fore nobis panem et cibum, quo animi

Cõfert locus Ioã. 6. cũ his quæ Domine geßit in cœna.

mi noſtri confirmarentur, et alerentur, atq; per animum corpus, demũq; totus homo. In cœna igitur nihil aliud egit Chriſtus, niſi quod propoſitionem tranſpoſuit, & ſicut antea dixerat, corpus ſuum et carnẽ, panẽ eſſe, ita nunc inquit è diuerſo, oſtendendo panẽ, ipſum eſſe corpus ſuũ, dũq; protulit, Hoc eſt corpus meum, fuit ac ſi diceret, corpus meum fide perceptũ, erit uobis pro pane, inſtar panis, quo ſpiritualiter alamini, Sit itaq; ſenſus, do vobis panẽ vt edatis, et interim uobis propono corpus meum in cruce agendum, vt ipſum fideli memoria et mente attentiſsima, apud voſmetipſos ſpiritualiter comedatis, utq; corpore editis panẽ, ita mente veſcamini carne mea. Quid iſta interpretatione, aut facilius aut lucidius? quodq; magis cõueniat cum promiſsione quã fecit nobis dominus in. 6. Ioa. capite? Quod ſi quis contenderit, illud primum Chriſti dictum, Ego ſum panis viuus pro natura diuina accipi, vt Chryſoſtomus velle videtur, Primũ dicimus hoc non multum quadrare, quia Chriſtus inſtituerat ſermonem de eſu ſui corporis: & loco panis terreni offerebat Capernaitis carnem ſuam manducãdam, quod ex ſerie ſermonis liquido conſtat, etiamſi dicat panem de cœlis deſcendiſſe, quia ſæpe quod eſt diuinitatis, humanitati etiam cõmunicatur. Sed ſi tantum valet apud eos iſta Chryſoſtomi expoſitio, ualeat eadem cum infra inquit, Chriſti dictũ, Panis quem ego dabo caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita, ad Euchariſtiam pertinere. Neq; ſolus ipſe hoc ſtatuit, ſed illi cæteri quoq; interpretes cõſentiunt. Cum itaq; dominus ibi dicat panem, eſſe carnem ſuam, nunc in cœna idem teſtatur, demon-

strato enim pane, ait, hoc est corpus meum. Vtrobiq; corpus suum, vel carnem suam, panem esse prædicat nimirum animi, & nostræ regeneratæ substantiæ, qui spiritualiter manducetur. Et sic nulla erit conuersio propositionis, sed vtrobiq; accipietur eodem modo. Quod si totum simul accipiamus, panem videlicet, & rem per panem oblatam id est corpus Christi, synecdoche admittimus. Nam de toto dicitur, vel de vna parte, quod est alterius. Sin verò dictum referas, ad panem qui et significat et offert nobis corpus Christi edendũ, tropus erit metonymiæ, quando scilicet tribuitur signo nomẽ signati. In hac interpretatione quoque omnia sunt facilia, vitantur absurda, et unus scripturæ locus, cũ alijs nõ pugnat. Dicebãt si tropis ita detur locus, hę retici omnia peruertent. Ego uicissim dico, nisi utamur tropis, ut patet in ijs quę paulo ãte citauimus uicerunt hæretici. Nam illi quoq; proprium sẽsum urgebunt, eum videlicet qui statim se offert. Tantũ hoc supereſt, ut ostendamus talem phrasim, & tropicam locutionem, frequentem esse in sacris litteris, quod facile erit. Scriptum legimus, Semẽ est verbũ dei, Petra erat Christus, quamuis scio nonnullos cauillari, et hic nullum uelle tropum esse, eò quod Paulus contraxerit sermonem ad petram spiritualem, quam uere & non tropice aiũt Christum esse. Attamen pro nobis facit, Augustinus, & Origenes, qui aperte dicunt petram illã externam significasse Christum. Sed ne uideamur subterfugere, quod obijcitur, dicimus si uoluntaccipere petram spiritualem, sumant hic etiam panem spiritualem & allegoricum, ac de ille fatebimur, quod uere, & absque

Quis tropus in his uerbis hoc est corpus meum.

Nisi utamur tropis non poterimus hæreticis resistere.

Tales locutiones tropicæ ut est ista sunt familiarissimæ scripturis.

absq; tropo est Christus: Dicebat præterea dñs, Ego uos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est, nec propterea Iudas transubstantiabatur in diabolum. De circumcisione scribitur, fœdus meum erit in carne vestra, cum circumcisio non sit fœdus, verum tãtummodo signum fœderis. Trigesimo tertio capite Geneseos, narratur Iacob ædificasse altare, quod uocauerit Deus fortis Israel: et Moses in Exodo post uictoriam contra amalech extructum à se altare uocauit יהוה נסי Deus uexillum meum: & Hieremias meminit ciuitatem appellandam יהוה צדקנו Deus iustitiam nostram, eo quod ista futura essent earũ rerum, quas nominibus exprimebant, monimenta. De Iohanne Baptista scribitur, quod erat lucerna ardens, & lucens. Item ipse est Helias, si vultis eum recipere. Christus de se ait, ego sum uitis, & uos palmites. Ego sum ostium. De illo habemus etiam quod sit lapis in ruinam positus, et resurrectionem. In Deuteronomio sanguis est anima, cum sit id quo anima conseruatur & significatur. De Ioseph dixit Iudas eius frater, ne occideretur, caro nostra est, qua phrasi denotabatur naturalis coniunctio generis. Paulus inquit, multos esse unum panem, quod oportet figurate intelligere. Et CHRISTVS efflauit in discipulos atque ait, Accipite spiritum sanctum, nec tamen in spiritum sanctum flatus est transubstantiatus. In Genesi non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Et in Ioanne, uerbum caro factum est, ubi tropus est synecdoche, totus enim homo nomine carnis intelligitur. Ac Dominus in cruce inquit: Mulier, Ecce filius tuus,

iehouah nesi
iehouah zidcenu

& discipulo, Ecce mater tua, neq; tamẽ sunt trãsubstantiati, ijdem manserũt, qui prius, sed nouus ordo, noua relatio, atq; respectus, inter illos est constitus. De Christo dicitur quod est pax nostra, cũ tantum sit causa nostræ pacis. Et verba mea sunt spiritus et vita, cũ tantum hæc significarent, vel afferrent credentibus. Dicebat Ioannes, Ecce agnus dei de Christo, nec tamen eius natura, mutabatur in agninam. Passim legitur in sacris litteris, uerba domini esse iudicium, ueritatem, & iustitiam, cum tantum ibi ista significentur, & exprimantur. Atq; hoc simile eximiè conuenit sacramentis, quæ dicuntur esse uerba uisibilia. In apocalypsi habetur, Ego sum α et ω, id est principium & finis omnium rerum. Et de suo euangelio quod prædicabat, ait Paulus, Vis dei est ad salutem omni credenti, cum tantum sit instrumẽtum, quo se declarat potentia Dei ad homines seruandos. Ac de sermone crucis dicit, quod sit stultitia impijs hoc est, rem stultam huic generi hominũ significat, pijs uero addit esse Dei uim & sapientiam, eo quòd ipsis ista referat. Et de lege aiebat deus, quod mortem & uitam, benedictionem & maledictionem apponeret Hebręis, id est per significationem legis, promissiones & cõminationes, quæ in illa exprimebantur. In libro Geneseos septem uaccę, & septem spicæ, dicuntur esse septem anni, & hoc quoad significationem. Ahias propheta Sylonites dedit Hieroboã decẽ conscissi pallij frusta, atq; dicebat, se illi dare regnum decem tribuũ. In hac etiam epistola hoc. 11. cap. scripsit Paulus, vt mulier haberet super caput suum potestatem τὴν ἐξουσίαν, id est uelum, quo potestas uiri significatur. Et in posteriore

riore epist. ad Corinth. habetur, quod deus Christum fecerit peccatum, nimirum quo ad similitudinem, et carnis representationem: quin & victima quæ offerebatur pro peccato, appellata est peccatū, & sacerdotes dicebantur comedere peccata populi, id est victimas quæ pro peccatis populi offerebantur, in Ezechiele scribitur effundam super uos aquam mūdam, et per aquam significat spiritū sanctum, quod idem legimus de Christo cum ait. Qui biberit ex hac aqua, & quæ sequuntur: Vbi cōmemorat Euangelista illum fuisse locutum de spiritu quem accepturi erant. De agno audimus quod sit appellatus pesach, quamuis nonnulli id conentur in ficiari, sed Hębraice habetur זבח פסח הוא sacrificiū paschæ est. Per sacrificium non potest intelligi nisi aut victima, aut illa actio immolandi victimam. Ita nos corpus Christi habemus expressum & pane & vino, & actione tam edendi quam potandi, Nō fuit agnus ille transitus angeli, sed solum eius monumētum atq; significatio. Quæsiuit Christus locum ubi pascha commederet cum Apostolis, & per pascha intelligebat illos cibos, & illa consecrata, quæ denotabant transitum. Paulus etiam pascha nostrum immolatus est Christus, dixit, quo loco appellauit Christum ipsum, nostram solemnitatem, & nostrū transitū, quæ non possunt nisi tropice accipi. Erat q; agnus ille non transitus angeli, qui tunc fieret, sed iam erat factus antiquitus, cuius memoria signis illis externis representabatur. Hic etiā corpus Christi habemus hactenus passum, non quod nunc tradatur in crucem, aut cuius sanguis nunc effundatur Et si uellent isti sermones Christi rigide interpreta

zebah pe sah hu

ri, cum inquit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, oporteret eos dicere panem fuisse crucifigendum, aut saltem Christum velatum accidentibus (ut ipsi ponũt) in sacramento. Nam Christus ostendens id quod habebat in manibus, illud pro eis dicebat et tradi & fundi, quod si dixerint, id quidem erat quod fuit traditum, sed eodem modo, aut ea forma, iam quærunt interpretationes, atque suffugia, et non simpliciter propositionem accipiunt. Quod idem videas in verbis traditur, & funditur, quæ si à nobis dum verba proferimus in consecratione, accipiantur vt sonant, corpus Christi significabitur modo tradi in crucem, & sanguis eius modo effundi, aut mox effundẽdus. Volũt autem conuerti hæc in præteritum, ut intelligamus corpus traditum, & sanguinem effusũ, & id est tropice agere, quando tempus pro tempore accipitur. Quod autẽ Paulus dicebat reos esse corporis & sanguinis Domini, eos qui manducant indignè, item iuditiũ sibi mducare, eò qđ non dijudicent Corpus dñi, nihil est, quia Ambrosius respõdet, Quo ad primũ, dũ illũ locũ interpretatur. Dabunt pœnas mortis dñi, quia pro illis occisus est, qui eius beneficium in irritum ducunt. Interpretatur ergo eos reos esse corporis domini, ut audiuimus, neq; ad hoc requiritur trãsubstantiatio. Et indignè sumentes, asserũtur nõ dijudicare, hoc est in precio non habere, corpus domini, quia tanta est coniunctio inter symbola & significata, vt istorum contumelia, in illa redundet. Hoc pacto locutus est Paulus cum diceret, vir orãs aut prophetans contecto capite, ignominia afficit Christũ, ubi aperte voluit in Christum redundare quod

Aduersarij esset n. sunt simpliciter accipere uerba domini hoc ẽ corpus meum

Contumelia sacramenti redundat in

quod fiebat circa caput viri, eò ꝙ esset symbolum Christi. Consyderandū est etiam Paulum scripsisse ad Corin. Qui non prorsus erant destituti fide, sed laborabant aliquibus infirmitatibus, & hoc hominum genus, non diximus tantū accipere symbola, et non habere corpus Christi, sed hoc asserimus de infidelibus Epicurēis, ἀθέοις, & ab ecclesia excisis. Vnde recte illis dici poterat non solum quoad symbola, sed etiam quo ad rem sacramenti, ꝙ rei essent corporis & sanguinis domini, & ꝙ non dijudicarint corpus domini, cum ista, fide perciperent, & vita non exprimerent. Et hoc loco id quoq; attendendum est, ꝙ Paulus cum agit de sacramētali actione, videlicet esu et potu, panis meminit: et ait, Qui māducat hūc panē, sed cū postea uitiū est exaggeraturus, meminit corporis dñi, et si ratio ineatur, et iustè supputetur, in tota tractatione de hoc sacramento, sępius expressit apl'us, panem quā meminerit corporis dñi. Nam bene quinquies ipsum inuenias cōmemorasse panē. Corpus vero dñi tantūmodo quater. Sed nūc uidendū est quæ sunt illa quę nos permoueant ut orationē hāc, Hoc est corpus meū tropice accipiamus. Primum consyderamus in cœna Christū adfuisse, unde nō opus erat ut apl'is ostēderet corpus suū. Videbāt enim ipsū. Deinde qui fieri potuit, vt ipse māducarit realiť et corporaliť seipsum? Eū vero comunicasse cū apostolis nō solū patres asserūt, sed Christus ipse inquit, ut habes in Matheo. Posthac non bibam de hoc fructu vitis. Prętерea respicimus, quod hic agitur de memoria, ubi tropus indicatur, Et uidemus istos mutare tempora ut quod per futurum uel per præsens enunciatur,

corpus Christi qđ est res Sacramenti.

Quibus causis conuincatur tropus in his uerbis hoc ē corpus meum.

de tra-

de traditione corporis et effusiõe sanguinis, ipsi per præteritum interpretentur. Consyderamus postea illos non posse carere tropis cõsecrando, quia uerbũ, est, accipiunt pro conuertitur, transubstantiatur vel fit. Christusq; cum instituerit sacramentũ, conuenit ut per significationes, & tropice, symbola accipiantur, iuxta naturam sacramenti quæ est vt sit signũ. Respicimus & ascensionem Christi in cœlũ, Veritatem humanę naturę, quam assumpsit, Et quę habentur in Ioãne, cum dicitur Capernaitis, Verba mea sunt spiritus et vita, caro non prodest quicquã, nimirum carnaliter manducata. Spiritus est qui viuificat. Et rursus Paulum consyderamus qui panẽ hic ponit quam apertissime, ubi tamen isti volunt tropũ esse, qui nostrum tãtopere auersantur. Audimus etiam Paulũ atteſtantẽ, veteres habuisse nobiscum eadem sacramenta, Nam ex Augustini sententia non satis illi fuit dicere, eos habuisse spiritualem cibum et potum, sed adiecit, eundem. Et rursus ne ambigas, expresit apostolus et baptismũ, quẽ dicit eos in mari & nube fuisse consecutos. Vnde liquet illos non tantum inter se, verum et nobiscũ habuisse eadem sacramenta. Videmus etiam uicinas locutiones istis tropice accipi, nam dicitur, Panis quem frãgimus comunicatio corporis Christi est, Et hic calix nouum testamentum est, quæ sępius cõmemorauimus. Deinde non proprie conuenit corpori Christi ut edatur. Atq; ex his abunde constat, quid ad secundum argumentum dici debeat, in quo illi obijciebant sententiam non esse ad tropũ accipiendam, nisi aliquid antea, vel postea illic haberetur, quod id faciendum consuleret, Et instabant, illam

par-

particulam, quod pro uobis tradetur, nos potius retinere in sensu proprio, quod aperte falsum est, cū ibi tempora mutemus, neq; illud accipiamus corpus quod tradebatur, Quandoquidem id et visibile fuit atq; passibile. Neq; in eadem substātia aut subiecto possunt simul conuenire, et corruptibilis corporis conditiones, et dotes glorificati, ita ut idem corpus passibile sit et impassibile simul, et pro eodē tempore. Ad hæc ostendimus, quæ alia loca nos adducant, vt hoc genus tropi admittamus, Synecdoche inq;, uel Metonymia.

Ad aliud argumentum de rebus distinctis, siue vt loquuntur, disparatis, inter quas non potest cōstitui mutua prędicatio, respondemus. Quæ sic discreta aut disparata sunt, si accedat analogia vel significatio, iam ita coniungi possunt, vt propositionem constituere valeant. Quod uidemus factum non solum cum dicitur à domino: Semen est verbū dei, et, Ego sum vitis, cæterum & à Paulo, quando pronunciat nos esse vnum panem. Et rursus inquit Panis quē frangimus cōmunicatio corporis Christi est. Ac rursus, Hic calix nouum testamentū est in meo sanguine. Neq; multum moramur, q; aliqui dicunt Matth. et Marc. plane et aperte protulisse, Hic est sanguis meus noui testamenti, nō enim negamus ita scripsisse istos euangelistas: Sed interim contendimus, et verba recipienda esse, quæ et Lucas, et Paulus habent, eaq; dicimus, sicut alias sententias, quas modo citabamus, constare ex vocibus admodum discretis, & quæ more dialectico possūt vocari disparatæ. Sed per analogiam et significationem pulchrè et appositissime connectuntur.

Quomodo possint disparata de se mutuo prædicari.

In alio argumẽto dicebaṫ Chr̃m cũ pferret, Hoc ẽ corpus meũ, nõ dixisse hoc significat, aut repr̃ẽtat corpus meũ, iste panis ẽ figura, aut signũ corporis mei. Istis nos regerimus, Christũ nõ dixisse, in illis accidẽtibus absq; subiecto corpus suũ latitare, neq; asseruisse substãtiã panis desinere esse, aut conuerti, aut trãsubstãtiari in suũ corpus. Deide miror ista ob ĵci, cũ apd̃ pr̃es inueniãtur istę expositiões. Nã frequẽṫ aiũt repr̃sẽtari, significari, designari, ostẽdi, corpus & sanguinẽ dñi. et symbola panis ac vini appellãt signaculũ, figurã, ac typũ, et ἀντίτυπα. Neq; est q̃ aliquis cauillet̃, ista signa aut figuras eos referre ad mortẽ, et nõ ad corpus Christi, qa Patres apte dicũt significari corpus et sãguinẽ, et signa, & figuras dari corporis et sãguinis dñi. Qd̃ ut verę esse agnoscas ex multis hęc aliq̃t eorę loca subĵciemus. Aug. de catechizãdis rudibus, De sacramẽto sane qd̃ accepit, signacula qdẽ rerũ diuinarũ esse uisibilia, sed res ipsas iuisibiles in eis honorari. Idẽ de ciuitate dei li. 10. c. 5. Sacrificiũ ergo uisibile iuisibilis sacrificij sacramẽtũ .i. sacrũ signũ est. Hieron. li. 4. in Mat. c. 26. ut q̃mõdo in p̃figuratiõe eius Melchisedech sũmi dei sacerdos panẽ et uinũ offerẽs fecerat, ipse quoq; ueritatẽ corporis sui & sanguinis repr̃sentaret. Bertramus positis sanctarũ scripturarũ testimonijs, et sanctorũ patrũ dictis, euidentissime monstratũ esse, quod panis qui corpus Christi, et calix qui sanguis Chr̃i appellaṫ, figura sit, qa mysteriũ. Tertullian. contra Martionẽ li. 4. Acceptũ panẽ et distributũ discipulis corpus suũ illũ fecit, hoc ẽ corpus meũ, dicẽdo .i. figura corporis mei. Cyprian., epĩa. 3. li. 2. Videmus in aqua, populũ intelligi, in uino ost̃ẽdi sanguinẽ Chr̃i. Ambros. li. de his q̃ initiãṫ mysterijs. Ante bñdictio

Testimonia patrum quibus appellant sacramenta signa et figuras.

nẽ verborũ cœlestiũ alia ſpecies nominat, poſt cõſe crationẽ corpus Chri ſignificat. Idẽ de ſacramẽtis li. 4. c. 5. Fac nobis hãc oblationẽ aſcriptã, rationabilẽ, acceptabilẽ, q̃ eſt figura corporis & ſãguinis dñi nr̃i Ieſu Chr̃i. Idẽ in ca. 11. prioris epl̃e ad Corin. Huius rei memores, in edẽdo et potãdo, carnẽ et ſanguinẽ dñi, quę, p̃ nobis oblata ſũt, ſignificamus. Et mox: In cuius typũ nos calicẽ myſticũ ſanguinis, ad tuitionẽ corporis et animę noſtrę percipimus. Bernardus in ſermone cœnę dñi, In hũc itaq; appropians paſsioni dominus de gratia ſua curauit inueſtire ſuos, vt in uiſibilis gratia ligno aliquo uiſibili pręſtaret. Chryſoſtomus in epl̃ã priorẽ ad Corin. ca. 10. Quid enim apello coionẽ? idẽ ipſũ corpus ſumus: Quidnã ſignificat panis? Corpus Chr̃i. Quid aũt fiũt q̃ accipiũt? Corpus Chriſti. Baſilius vocat ἀντίτυπα in ſua liturgia, & q̃dẽ poſt baptiſmũ. Auguſt. de trinitate li. 3. ca. 4: apl̃us potuit ſignificando p̃dicare dñm Ieſum Chriſtũ p̃ linguã, aliter p̃ epl̃ã, aliter p̃ ſacramentũ corporis et ſanguinis eius. Idẽ cõtra Adimãtũ: Nõ dubitauit dñs dicere, Hoc eſt corpus meũ, cũ ſignũ daret corporis ſui. Idẽ in pſalmũ. 3. Iudã adhibuit ad cõuiuiũ, in quo corporis et ſanguinis ſui figurã diſcipulis cõmẽdauit et tradidit. Idẽ cõtra Maximinũ li. 3. ca. 22. In ſacramẽtis nõ q̃d ſint, ſed q̃d oſtẽdant attendit, q̃m ſigna ſunt rerum, aliud exiſtẽtia, et aliud ſignificantia. Ex his vides patres nõ abhorrere, imò ponere ſignificationem corporis in hoc ſacramẽto.

Pręterea oſtẽdimus ex ſacris l̃ris hmõi locutiones eſſe, ubi ỹ bũ ſubſtantiuũ, eſt, acciptiur p̃ ſignificat. Quare hoc argumentũ hebetatur. Cũ itaq; obijciũt Chriſtũ nõ dixiſſe vel ſignificat, vel repreſẽtat, Nos

ex sacris litteris ita posse accipi respondemus, quod luculenter supra demõstrauimus. Neq; vt arbitrantur, nos hoc pacto argumentamur, alibi hoc modo se habet ista locutio, igitur & hoc loco sic accipienda est, Sed tãtum occurrimus illis, qui cum probare debeant suam trãsubstantiationem, afferunt, Hoc est corpus meum. qui locus controuersus est, et de sensu eius dubitatur, Illi obiiciunt nobis simplicem sensum, et mordicus retinẽt, quod ex aliis locis scripturę liquet non esse firmum, cum aliter sępissime ista locutio in sacris litteris, accipienda sit. Nos pro nostra sententia de Eucharistia, multas alias habemus rationes, neque hoc adducimus, vt nostrum argumentum, sed tantum respondemus eis, cũ obtrudunt huiusmodi phrasim, eam frequentissime aliter significare, et idcirco ex illa ab ipsis infirmiter concludi.

Cũ argumentãtur à dicto Christi, hoc ẽ corpus meum infirmum est argumentum.

Argumentantur postea de adoratione, quod si relinqueretur panis, adoraretur in sacramento. Miror istos esse tam obseruantes verę adorationis, cũ alioquin et picturæ, atq; statuę apud eos adorẽtur. Verum dicunt, se ista non adorare, sed ea quæ per hæc repręsentantur. At quomodo nõ idem uolunt concedere de pane si remaneat, q; is non adorabitur, sed ea quæ ab illo significantur? Deinde cur pari ratione inde non semoueruut accidentia, ne illa forte adorarentur? Excusabunt fortassis quod nullus velit ibi colere accidentia, cũ tamen sciamus picturas & figuras, quas in templis tollerãt, accidentia esse, ad quę hoies procumbunt, nam si ligni uel lapidũ substãtias adorare vellent, et in syluis, et in plateis, haberent passim quod adorarent. Adde rusticos et

5.

Euitatur idololatria etiã si maneat panis

simpli-

simplices homines nescire distinguere, aut iudicare inter accidentia et substantiam. Quicq; finguut se moueri tanto zelo, debuerũt et calicem transubstãtiare, ne forte cum ostenditur, adoretur. Et sane leuissimum hoc argumẽtum mihi semper visum est, licet à scholasticis, et quidem nõ vulgaris nominis, obijciatur. Oppositum est adhæc, q; nisi ponatur transubstantiatio, tum in hoc sacramento duæ naturæ, siue substantiæ corporeæ, simul ponentur, atque eodem loco. Quis hic non miretur istos esse tantæ religionis in naturam, & obseruantiæ, quasi nolint eius leges violare? Cum tamẽ accidentia cõstituant pendula, absq; subiecto, quod maxime aduersatur naturæ decretis. Et per suũ commẽtum ab surdum, quod timent non euadũt, quia cum relinquant accidentia, inter illa est corpus, quod ad quãtitatem pertinet, et locũ procul dubio occupat. Cũq; etiã velint carnẽ Christi corporaliter accedere, quę est quanta, & latere sub accidẽtibus, necessariò duo quanta & duo corpora simul ponent. At iuxta sententiam quam nos asseremus, nil est periculi ab hoc absurdo. 6.

Aduersarij cogũtur duo corpora simul ponere.

Aiebant præterea, dignitati Christi parum conuenire, ut eius corpus substantiæ panis coniungatur, quod est admodũ friuolum, non enim statuitur ex corpore Christi, & panis natura, unũ suppositũ fieri, ut ex natura diuina atq; humana in Christo. Neq; etiam videmus quæ maior sit dignitas accidẽtium, quam sit panis, vt si corpus Christi cum illis esse statuatur, non possit cum substantia panis manere. Et cum natura diuina etiam in inferno esse dicatur, citra suæ dignitatis iacturã. Atq; hoc corpus 7.

vt ipsi sentiũt, etiã impijs tradatur uere & substantialiter manducandum, qui sunt impurissimi & eo indignissimi. Quid verentur tãtum ob dignitatem, corpus et sãguinem domini pani & uino adiũgere? potissimum cum significationis coniunctio statui debeat.

8. *Quid sit sacrificiũ in cœna Domini.*

Habuerunt præterea rationem de sacrificio. Nam inquiunt corpus & sanguis domini offeruntur in Missis, etsi nõ ponatur ista metamorphosis tum nil offeremus, nisi rem significatam, & adumbratam. Hic pro nobis satisfaciet Cyprianus, qui ad Cæciliũ epist. 3. li. 2. Ait passionem esse dñi, quã offerrimus. Quis autẽ nesciat passionem Christi minime presẽtem esse, in manibus sacrificí, cum sit res elapsa prẽterito tempore, cuius agitur memoria, & de qua gratiæ aguntur Deo? Sed hoc totum quod prætexunt in hoc argumento, figmentum est, quo comminiscuntur ipsum filium Dei, à sacrificio proprie & uere immolari patri, qua de re ut errent, modo non

9. est locus dicendi. Nunc oportet ostendere quod postea obijciebant de patrũ sententijs, quæ instituto nostro uidẽtur aduersari, eas contra nos minime facere. Sed priusquã ad ipsas explicandas descẽdam, nõnulla præfari statui, quæ haberi poterunt, ut certẽ regulæ ad patres intelligendos. Quando hac de re

1. *Quædam regulæ ad idtẽlligendos prẽs eũ de hoc sacramento loquuntur.*

sacramentali grãdius loquuntur, & uehementius agunt, Primum est consyderandum, scripturam sanctam alternatione quadam, quod symbolorum est, consueuisse rebus attribuere, & quæ uicissim rerum sunt, àdscribere signis. Qua eadem ratione & patres utuntur, ut sæpe illos videas de rebus agere, atq; si de symbolis loquerentur, ac è diuerso,

ita

ita de ſymbolis ſcribere, quaſi res & ſignificata per tractent. Quod poteſt cõgruere propter magnam ſimilitudinem, quæ inter hæc ex inſtituto domini intercedit. Auguſtinus de hac re aperte monuit, ad Bonifaciũ, qđ in ſacramẽtis nomina permutentur. *Alleoſis rerum & ſymbolorum.*

Altera eſt regula, quod ſi diligenter inſpexeris quæ ſupra et infra dicuntur, ſemper videbis patres atteſtari, hanc alimoniam ſpiritualem eſſe, non autẽ gulæ, uentris aut dentis. 2. *Semper alimoniam ſpiritualẽ reſpiciũt.*

Tertia, ſi quandoq; dicant, nos cum Chriſto carnaliter cõmuninicare, ita vt etiã corpus alatur Euchariſtia, iſta ſic accipienda ſunt, ut intelligamus filium dei, quando conceptus fuit ex virgine, et naturam humanam aſſumpſit, tum nobiſcum carnaliter cõmunicaſſe. Deinde nos in eo manemus, uiciſsim q; ille in nobis manet, quando nos verbis eius credimus, et cũ fide ſacramenta percipimus, quia ſic cõmunicando, additur nobis ſpiritus, et caro noſtra et corpus, quæ naturæ iam erant eiuſdem cũ Chriſto, redduntur earundem conditionum cum eo, capacia fiunt immortalitatis et reſurrectionis, cunq; obſequantur et inſeruiant ſpiritui, uerè aluntur ad uitã æternam. Et ita Corpus noſtrũ in Euchariſtia bifariam paſcitur, primum ſymbolis, deinde hac inſtauratione ad vitam æternam, atq; ita Chriſtus dicitur per hoc ſacramentum in nos manere. De prima cõmunicatione quam habemus cũ illo per natiuitatem, et incarnationem, teſtimoniũ habes ex epl'a ad Hebræos cap. 2. Quia igitur pueri cõicauerunt carni et ſanguini, et ipſe ſimiliter pticipauit eiſdem. Cõſyderes deinde ỳ bũ cõſecrãdi nõ aliud ſignifica re apud pres, quã rẽ cõmunem et prophanã, ſacro 3. *Quid ſit Chriſtum nobis carnaliter aut naturaliter cõmunicari.*

Quid ſit cõſecrari. 4.

vſui

usui dedicare, et hoc est sanctum reddere, nõ itaq; est ut cum in patribus occurrit uox consecrationis, illico nobis fingamus transubstantiationem. Quod autem aliqua mutatio ibi sit, non inficiamur, nimirũ qua res illæ iam sacramenta fiant, ad significandum nobis efficaciter, offerendũ ac exhibendum per uim spiritus sancti, quoad animum & fidem, corpus & sanguinem domin.

5. Discrimẽ inter nos & Capernaitas.

Sciendũ prẽterea, inter nos et Capernaitas quoad res ipsas non esse discrimen: Illi putarunt se uerũ corpus et ueram carnem Christi manducaturos, quod et nos fieri concedimus. Cẽterum discrimen est in modo, et ratione mãducationis: Quod illi carnaliter faciundum putarũt, nos fieri spiritualiter docemus, alioquin uerũ corpus, et verus sanguis exhibetur, quia fides non complectitur ficta, sed vera.

Item cum legitur in patribus, corpus Christi contineri aut haberi his mysteriis, per ista nihil aliud accipiendum est, q̃ denotari, ostendi, demonstrari, atque significari.

6. Corpus christi cõtineri, uel haberi in pane quid sit.

Cunq; audis patres dicentes, Hic panem aut vinũ amplius non esse, hoc debes intelligere non simpliciter, sed quoad teipsum, quando pie communicas, quia illic tibi non est cogitandum, uel de pane, vel de vino, mens tua, et sensus, oportet solum inhẽreat rebus, quæ tibi repręsentantur. Id eo dicitur, Sursum corda, vt ab istis animum subuehas ad inuisibilia, quæ tibi offeruntur. Scripturę etiam sacrę non abhorrent ab hoc tropi genere. Paulus inquit, Nõ est nobis colluctatio aduersus carnem et sãguinem, qui tamen non negasset corpus et carnem aggrauare animam, et refrenanda esse, cum alibi scribat, Ca

Quid intelligant patres cum dicũt panem aut uinum in sacramẽto nõ supesse

ro con-

ro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Neq; etiam ignorauit, multos eſſe malos homines, qui caro et ſanguis dicuntur, à quibus tamẽ infeſtamur, et cũ illis eſt nobis quotidiana lucta. Sed intelligebat Paulus, de illa ſumma et prẽcipua contentione, vnde iſtæ aliæ ortum habent. Dixit etiam in Chriſto non eſſe marem, neq; fẽminam, neq; ſeruum, neq; liberum, cum tamen iſta officia, et iſtę perſonę à Chriſto et eccleſia non remoueantur, imo de illis prẽcepta ſeorſim deſcripta ſint. Sed intelligebat Paulus iſta nõ eſſe in Chriſto, quoad regenerationem, remiſsionẽ peccatorum, et vitam ẽternam conſequendam, quę ſumma ſunt in Chriſtianiſmo. Et in illis diſtribuendis, Chriſtus non reſpicit hos ſtatus et iſtas conditiones. Scribit idem apoſtolus, Regnum dei non eſt in ſermone, nec tamen voluit propterea ab eccleſia quę regnum dei eſt, remouere conciones, admonitiones, et lectiones, quæ verbo fiunt, ſed tantum reſpiciebat illam ſummam vim, et efficaciam ſpiritus, qua omnia in eccleſia regi debent. Ita loquuntur patres, cum negant ſymbolorum naturam manere, quod non eſt vt diximus ſimpliciter accipiendũ, ſed quoad noſtram fidem, et cogitationem, quas non oportet illis inhẽrere.

Adijcias iſtis, fidem tantæ eſſe efficaciæ, vt res prẽſentes faciat, non quidem realiter aut ſubſtantialiter, ſed ſpiritualiter. Nam illas vere complectitur. Atq; ita dicebat apoſtolus, Chriſtum ob oculos Galatarum fuiſſe crucifixum. Sic et Abraham dictus eſt vidiſſe diem domini, Atq; hoc pacto veteres eundem Chriſtũ habuerunt in ſacramentis, quo et nos fruimur. Et ita vides ad hanc præſentiam, 8.

Preſentia fidei.

non requiri, res quoad naturalem Constitutionem, mutare locum, aut nobis adesse cum omnibus suis materialibus, & physicis conditionibus.

9. *Si natura diuina in Sacramento præsēs est, similiter & humana potest dici presens p alleosim.*

EST etiam obseruandum, per alternationem et communicationem proprietatum, quia natura diuina CHRISTI nobis verissime adest, hoc ipsum communicari posse humanitati. Vt CHRISTVS cum loqueretur in terra, filium hominis dicebat esse in cœlis, & sic humanitati attribuebat quod fuit diuinitatis. Et hoc pacto in communione, naturam humanam CHRISTI nobis adesse concederem, id si per communicationem idiomatum exponerem.

10. *Cur patres usi sit hyperbolis.*

Postremo si quæras, cur patres his tropis aut hyperbolis usi sint, dicemus: partim vt phrasim scripturæ sequerentur, partim vt animos hominum uehementius percellerent. Deinde vt ostenderent istam significationem sacramentorum non comicam, aut tragicam esse. Nam in illis personatus quispiam, potest Hectorem aut Priamum repræsentare, nec præterea quippiam consequitur, quod magni momenti sit. Hic vero res repræsentata vi Spiritus Sancti, & datur et imprimitur in animis nostris per fidem, sequuntúrque multa dona & gratiæ, ac potissimum arcana & ineffabilis vnio cum CHRISTO, vt vere cum illo vnum efficiamur.

11. PRIMA autem obiectio fuit ex Irenæo, qui ait panem terrenum vocatione accepta, non esse cōmunem panem, sed fieri Eucharistiam. Hoc nos libenter admittimus, qui non hic ponimus prophanum

num & vulgarem panem, sed sanctum, quique iam vt ille dicit, factus sit Eucharistia. Sed quę sequūtur magis pro nobis faciunt Scribit enim, Eucharistiam ex duabus rebus constare, nimirū cœlesti atque terrena, et non inquit, ex accidentibus rei terrenæ: Subdit postea, ita nostra corpora Eucharistiam suscipientia non esse corruptibilia, spem resurrectionis habentia Et si tāta mutatio ab eo ponatur in corporibus nostris, vt eam æquet mutationi panis, (inquit enim, sicut panis ille nō est amplius communis, ita corpora nostra non amplius esse corruptibilia) quid opus erit transubstantiatione? cum mutationes istas faciat vtrinq; pares, et pateat nostra corpora non transubstantiari? Adducebatur secundo loco Tertullianus, et is quoq; secum habet declarationem. Nō solum inquit panem acceptum, fecit dominus corpus suum, cum diceret, Hoc est corpus meum, sed adiecit. i. figura corporis mei. Obijciebāt de Origene, quod scripserit dominum fateri panem esse corpus suum, id nos minime negamus, tota autem concertatio est de modo, quo sit corpus domini, et de hoc ipse aperte alibi docet figuras hic esse, et hunc panem dici verbum nutritorum animę, ac docet non esse inhęrendum sanguini carnis, sed sanguini verbi. Cyprianus videtur loqui durius, quādo panem hunc inquit, nō effigie, sed natura mutari. Verum spectandum est ad Cęcilium quid scripserit, nimirum cum vino demonstrari sanguinem Domini. Et si desijt vinum in calice, non posse uideri sanguinem Domini ibi esse. Quod vero inquit nunc de mutatione, illam quoque nos concedimus, sed sacramentalem. Et tunc fatemur non

Ad Tertullianum.

Ad Origenem.

Ad Cyprianum.

Quomodo natura panis mutetur.

effigiem, siue formam, et accidentia panis, subire hoc munus, vt sint sacramenta, sed naturam et substantiam ipsam panis et uini, mutari in sacramenta corporis, et sanguinis domini. Vtq; substantia ipsa panis, et non effigies nutrit, ita corpus Christi et animam nostram alit, et corpus fouet, atq; instaurat. Vtq; substantia ipsa panis constat ex multis granis, ita corpus mysticum quod repręsentat, multa habet simul coniuncta membra. Vnde, tam nos quam aduersarij dicimus effigiem id est panis apparentiam, et aspectum non mutari, sed substantiam esse quæ mutetur. Et illi quidem uolunt mutationem esse per abiectionem naturę panis, nos vero ponimus tantum sacramentalem mutationem. Et contra aduersarios facit, ismet Cyprianus, nam ipsi substantiam panis non mutant, uerum prorsus auferunt. Nos mutari dicimus, vt quæ corpus Christi fiat, id est sacramentum corporis Christi, quod ante nō erat. Addas his, naturam, apud bonos authores latinæ linguæ, non semper significare substantiam, sed

Quid natura.

uim, ingenium, et proprietatem. Vnde Cicero de somnio Scipionis, animę natura propria, atq; vis, vt ipsa, à se ipsa moueatur. Et ad Lentulū, eam esse naturā & religionem prouincię tuę. Et cum dicitur natura herbarū, natura lapidū, & alia huius generis Quæ significatio huic dicto Cypriani bene quadrat. Obijciunt Ambrosium, & potissimum in libris de sacramētis. Qui libri ab aliquibus existimātur non esse Ambrosij. Roffensis inuehit in eos, qui sic putant, & inquit omnino credendū esse Augusti no, qui istos libros Ambrosio asserit, & aperte atte statur Ambrosium scripsisse libros de sacramentis,

Ad Ambrosium.

De libris inscriptis Ambrosio

& pro

et prologum citat ſuper libros de doctrina chriſtia na, quem ego frequenter legi, et nunquã quod iſte ſcribit inuenire potui, Niſi forte intelligat quæ in libris retractationum ſcripſit, cum meminit ſuorũ ſcriptorum de doctrina Chriſtiana, ibi tale quippiam habet. Deinde illud probe ſcio, Auguſtinum contra Iulianum Pelagianum, citaſſe Ambroſium de ſacramento Regenerationis, vel de philoſophia, non tamen hos libros de myſterijs vel de ſacramentis, & quæ illic citantur in his libris de ſacramentis non habentur. Sed hoc non multum moror, fac eſſe Ambroſij, non per omnia à nobis diſſentiunt. Nam ſæpe meminit ſignificandi, et quod appellantur, et dicuntur hęc ſacramenta corpus Chriſti, quę nos minime inficiamur, et ſi quandoq; meminit mutationis, uel conuerſionis, de ſacramentali hæc intelligenda ſunt. Præterea ipſe idem inſpiciendus eſt quid alibi dicat. Primum de officijs lib. 4. cap. 48. habet. Hic umbra, hic imago, illic veritas, umbra in lege, imago in euãgelio, ueritas in cœleſtibus: antea agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Chriſtus offertur, ſed offertur quaſi homo, quaſi recipiens paſsionẽ, ſed offert ſe ipſe, quaſi ſacerdos, vt peccata noſtra dimittat, hic in imagine, ibi in ueritate, ubi apud patrem, quaſi aduocatus pro nobis interuenit. Et ſuper priore Epiſt. ad Corin, ut ſuperius iam citauimus, inquit: In edendo & potãdo, carnem & ſanguinem Chriſti, quæ oblata ſunt, ſignificamus. Et cum de ſanguine loquitur, ait nos in typũ eius accipere calicem myſticum. Addas q̃ idem in his libris de ſacramentis, in eo qui quartus eſt capite quarto, aperte ponit mutationem noſtrã in Chriſtum

de ſacramentis.

Locutiones Ambroſij.

stum, quod sæpe in alijs patribus ānotauimus. Nūc
Ad Chrysostomum superest ut uideamus de Chrysostomo. Induxerunt eius simile de cera, quæ apposita ad ignem, quoad suam substantiam, destruitur. vt nihil remaneat, aut superfluat, ita inquit, putes mysteria consumi à substantia corporis Christi. Quid aiunt potest esse pro transubstantiatione apertius? Sed hic existimo esse operę præcium, ut Chrysostomum ipsum excutiamus, quo aperte uideatis quam recte annotata sint, quæ præfati sumus de locutionibus patrum. Is in homilia octuagesima tertia super Mathęum inquit,
Hyperbola Chrysostomi. Multi dicunt se velle ac cupere formam speciemq; Christi uidere, item uestimenta & calciamenta eius spectare, ipse uero seipsum tibi tradit, non solū ut se uideas, uerū ut tangas. Nonne hic intelligimus ipsū attribuere rei sacramenti, quod est symbolorum, nimirum ut Corpus CHRISTI tangatur, & uideatur? quod tantum de symbolis uere esse quis non animaduertat? Rursus in eadem Homilia: Nos secum in unam (ut ita dicam) massam reducit, neq; id fide solum, sed re ipsa corpus suum efficit. Quod idem scripsit in Homilia sexagesima & sexagesima prima, ad populum Antiochenum: Nos inquam, non solum fide & dilectione, sed re ipsa, fieri & misceri corpori Christi. Atq; id si ita est, ut nos non transubstantiemur, & nihilominus tam arcte iungamur CHRISTO, quid oportet panem transubstantiari, ut Corpus CHRISTI efficiatur? Sed posset scrupus oriri, quasi Chrysostomus contra nos faciat, qui perceptionē istā per fidem ponimus, cū ille dicat non solū per fidem, sed re ipsa nos illi misceri, & in illū mutari. Verum hic

obser

est obseruãdum, quod etsi per fidem statuimns corpus Christi et sanguinem edi aut bibi, tamen ad istã sumptionem per fidem, consequitur non ficta, sed vera coniunctio inter nos et Christum, qua non solum noster animus cum ipso unitur, sed etiam corpus et caro nostra inde habet suam instaurationem, efficimurq; uere membra Domini, & ipsum nostrũ caput suscipimus, ex quo perpetuo et spiritum et vitam haurimus. Atq; hoc est quod re ipsa nos Christo coniungi Chrysostomus dixit. Adde quod in eadem homilia super Matthęum ait, Ista esse symbola domini Iesu, quibus obturamus ora hęreticorũ, qui quęrunt, quomodo Christus sit passus. Nam si non ueram habuisset carnem et vere passus esset, vana essent hæc symbola. Habet in eadem Homilia, Nostram linguam cruentari, in perceptione sacramentorum. Et ne cauilleris cruorem intelligi inuisibilem, quo unà cum uino uel accidentibus, vt ipsi loquuntur, vini, lingua nostra cruentetur. In homilia quam habuit idem pater ad Antiochenos. 60. scribit, quod lingua nostra sanguine isto rubeat, Vbi quis non videat hyperbolem esse? Et habet in Encęnijs, in cratere sanguinem esse hausturn è latere domini, Quod non potest, vt dicitur, credi, quãdoquidem latus domini hodie nõ est apertũ, et inde sanguis nõ hauritur. Scribit prętera eadẽ homilia: Nũ panem vides? aut uinũ? subdit, absit. Certè si hic interroget sensus, respõderẽt nõ esse verum q̃ dicit. Nã iudicio nostri sensus, et panis et vinũ adest, sed ille verè loquitur, quãdo subdit, nõ ita cogites, quia quoad nostrã existimationẽ, oportet ista facessere. Scribit idẽ, Ne putes te ex hoie accipe corpus Chri

Non solũ fide, sed re vera miscemur Christo.

Declarat Chrysost. suas hyperbolas.

Negatio quandoq; intelligitur ex collatione.

sed

sed à Seraphin qui astet, & cum forcipe tradat tibi carbonem ignitum, Hic non arbitror istos uelle transubstantiare ministrum, aut pastorem, qui nobis porrigit sacramenta. Et subiecit, Accurramus ad exugendum sanguinem, qui ex latere Domini profluit, Ista ne scholastici quidem audent dicere. Nam ipsi scribunt panem & vinum in substantiam corporis & sanguinis conuerti, nõ tamen ita, vt veræ substantiæ corporis Christi quippiam vel accedat, vel decedat Et ad populũ Antiochenũ. 61. habet, non solum Christum præbuisse nobis se videndum, sed etiam tangendum, atq; palpandum, cuius carni etiam dentes infigamus. Quo loco etiam uides, quod est symbolorum attribui rei significatæ per sacramenta. Non enim pertingit dens noster ad substantiam corporis Christi, sed tantum ad panem, ad symbola, et sacramenta. Ipse idem ait in homilia. 60. ad populum Antiochenum, nos non debere putare sacerdotis manum porrigere sacramentum, sed existimare manũ Christi extensam hoc facere. Nec minus in baptismo ipsum eũdem esse, qui istud exequatur munus, videlicet baptizandi. Et. 61. admonet, vt cogitemus nos Christum sedentem in cœlis, qui adoratur ab angelis, in hoc sacramento gustare. Quibus omnibus non est obscurũ, hunc nostrum patrem, curasse omnibus modis, animos communicantium à signis crassioribus, & à symbolis externis, euocare ad diuina, atq; cœlestia meditanda. Mirandumq; est, istos qui excutiunt adeo diligenter loca patrum, non producere id quod habetur in homilia. 61. ad populum Antiochenum. Et petulãtes et contumaces esse eos, qui administrationi sacramen-

Quod est symbolorũ, rei attribuitur.

cramentorum aſtant, et non cõmunicant, Qua in re aſſeuerat eos Chriſto facere luculentam iniuriam. Sed ne ab eo diſcedamus, qđ in argumẽto propoſitũ eſt, nimirũ homilia in Encęnijs, de cera quę ad ignẽ tota diffluit: Reſpõdemus, eo loco habere Chryſoſtomũ idẽtidem hoc verbum, Puta, ut intelligamus iſta non eſſe accipienda, niſi quo ad noſtram fidem, et cogitationem, qua panem et vinum communicando non complectimur per ſe ipſa, ſed quęrimus res quæ per ſignificantiam, et quidem efficacem, iſtis coniuncta ſunt. Producimus deinde par ſimile ex Cyrillo in lib. 10. capi. 13. ſuper Ioannem, ubi ceram dicit liquefactam, et alteri cerę permixtã, ita ut ex duabus prorſus vnum fiat, referre id quod agitur in huius ſacramenti perceptione, quod eſt vt vnum efficiamur reuera cũ Chriſto. Idemq; habet lib. 4. ca. 17. Quod ſi hoc ſimile de cera inter nos & Chriſtũ locum habet, abſq; tranſubſtantiatione corporis noſtri, idem ſtatui poteſt de ſimili Chryſoſtomi, quod ponit inter ceram et ſymbola ſiue myſteria. Aduerſarij præterea interrogandi ſunt, nũ iſta ſimilia velint ęquari per omnia. Quod ſi conceſſerint, oporteret eos et accidentia panis ex iſto ſacramento auferre, nam cera quæ adhibetur igni, non tãtum deſtruitur, quo ad ſubſtantiam, uerum etiam quoad accidentia. Quod ſi nolint ſimile in hac parte locum habere, tum liberum et nobis erit, totũ hoc accipere, quo ad noſtras animi cogitationes, et fidei complexum, et ibi fatebimur, quoad ipſum, naturã et panis et vini abire, animũq; noſtrum tantummodo inhęrere ſignificatis, et rebus, quæ per ſymbola nobis offeruntur, id eſt corpori et ſanguini Chriſti

Contra eos qui adſtant et nõ cõmunicãt

Cyrilli idẽ ſimile de cera.

Et de Chryſoſtomo tantum ſit dictum, in quo videre poſſumus, ut vere ea locum habeant, quæ de patribus antea præfati ſumus. Auguſtinus poſtea obijciebatur, quí diceret ſuper Pſal. trigeſimo tertio Chriſtum ſe geſtaſſe ſuis manibus, & íd quídem ín poſtrema cœna, quando Apoſtolis ſacramentum diſtríbuebat, hoc aũt nos minime inficiamur. Quíd enim prohibet Chriſtum geſtaſſe ſuis manibus corpus ſuum, ſi per corpus intelligas ſui corporis ſacramentum? Et hoc eſt quod Auguſtinus ad finem iſtíus loci adijcit, Quodãmodo, ac ſi diceret, nõ ſimpliciter ſe geſtauit, ſed aliquo modo, ís vero eſt quẽ modo díximus. Eundem Auguſtinum opponunt nobis líbro 3. de trinitate, ubi inquit, Panem ad hanc uiſibílẽ ſpeciẽ per manus hominũ perduci. Sed non poſſe fieri tantũ ſacramentũ, abſq; operatiõe inuiſibíli ſpiritus ſancti. Eſt autẽ mirãdũ nõ leuiter, quomodo iſti ullũ aliud opus ſpíritus ſancti in hoc ſacramento non agnoſcant, niſi tranſubſtantiationem. Nam audito nomine operis ſpíritus ſancti in hoc ſacramento, tranſubſtantiationem ílico inferunt. Cũ tamen ſymbola hæc ad ſtatum et conditionem ſacramentorum non poſsint euehí, aut tranſmutarí, niſi ope diuina: uidelídet inſtituto domini, ſacrís verbis, et efficacia ſpíritus ſancti. Quía non amplíus incurſant hęc ſacra animum noſtrum uulgarí et cõmuni more, ſed efficací atq; vehementíſsimo ſpíritus ímpetu. Et eíuſdem ſpíritus ſancti, uí, ac operatione mentes et animí noſtrí permouentur, ad res ſacramentorum complectendas. Nunc ad Auguſtínum quí. 98. pſal. ſuper íllud, Adorate ſcabellum pedum eius, inueſtígat, quodnam ſit íſtum ſcabellũ, et tandem

Ad Auguſtinum.

Chriſtus geſtauit ſe ſuis manibus.

Opus eſt ſpiritus ſãcti vt hęc elemẽta fiant ſacramenta.

dem inuenit dici in ſcripturis, Terra eſt ſcabellū pedū eius. Sed quomodo inquit, adorabimus terram? nōne ſcribitur, Dominum Deū tuū adorabis, & illi ſoli ſeruies? et, p̄cipiť ut ea quę ſūt in cœlis, aut ſup terrā, uel in aquis, aut ſub terra nō adoremus. Verū ſubdit, quādā eſſe terrā quę iure adorari poſsit et debeat. Nā inquit, filius dei naturā humanā aſſūpſit, id eſt carnē ex virgine, et illa dicitur terra in ſacris lr̄is, quādoquidē noſtrū corpus è terra ſūptū eſt. Carnē uero Chriſti adorādā eſſe inde patet, quia cum illā ad māducādū exhibuerit, nemo eā māducat, quin prius adorauerit. Hæc Auguſtini v̄ba nihil cōtra nos poſſūt, quia carnē Chriſti adorandā eſſe propter cō iūctionē, qua habet cū natura diuina, minime inficiamur. Contendiť hic, an ea latitet opta ſub accidentibus, nō utrum adoranda ſit, ſed aiūt: Si ibi non eſſet in ſacramēto, et panis illic haberet, eſſet idololatria, Quibus reſpōdemus, qđ par etiā illi periculū incurrant, nā deberēt accidentia ſubmouere, ne adoraren tur, et calicem ipſum tranſubſtantiare. In ſacramēto aūtem diſtinguimus ſymbola à rebus, & ſymbolis aliquem honorem tribuimus, nimirum ut tractētur decenter, et nō abiiciātur. Sūt enim ſacræ res, et deo ſemel deputatæ. Quo uero ad res ſignificatas nimirum corpus et ſanguinē Chriſti, eas prompte et alacriter adorādas concedimus, Inquit enim Aug. hoc loco nō peccatur adorādo carnē Chriſti, ſed peccatur non adorādo. Verū monet interim carni Chr̄i nō eſſe inhærendū, ſed mentem ſubleuandam ad naturā diuinā, cui cōiuncta eſt caro nexu indiſſolubili, alioquin ait, Caro nō p̄deſt, ſed ſpiritus eſt qui viuificat. Vbi annotabis iſtud ſeruatoris dictū, quod

Idololatriam non cauēt aduerſarij.

Symbolis aliquis honor tribuitur ſed citra adorationem.

Quomodo ſit adoranda caro Chriſti.

habetur Ioannis.6. Accipi ab Augustino de carne Christi, non autē de carnali intelligentia, ut quidam volunt. De adoratione uero paucis perstringam, et commemorabo quod alias dixi in expositione huius epistolæ, illam consistere in inuocatione, confessione, quæ duplex est, et cordis & oris, atq; in gratiarum actione. Ea autem debētur & Deo & Christo, ubicunq; se nobis declarat. Hoc autem fit modo triplici: Primum, verbo interno, cum subit animos nostros ui diuini spiritus, aliqua vehemēs cogitatio de Deo & Christo, tunc adoratio consequitur, quia vel fatemur, uel inuocamus, aut gratias agimus. Declarant quandoq; se ista nobis per externa verba, cum sanctas scripturas ipsi legimus, aut sacras audimus conciones, tunc sępenumero incitamur ad inuocandum, vel ad alia quæ spectent ad cultus rationem. Demum se declarat aliquando Christus & Deus externis signis, ut in monte Syna. Isaię sub forma regis in solio suo considentis, in arca fœderis, aut in Sacramentis, & ibi quoq; adoratio impenditur. Sed quemadmodum Augustinus admonebat, sistendum non esse gradum in carne, sed accedendum ad diuinitatem, ita hic ego moneo, adorando, cum percipimus Eucharistiam, non esse consistendum in symbolis, sed adorandum in spiritu & veritate, Christum sedentem in cœlis, ad dexteram patris. Quod quia simpliciores non intelligunt, propter cō firmatum & roboratum errorem transubstantiationis, ideo existimarim non esse inutile, si ab adoratione externa, puta à prostratione, uel genuflexione temperaremus, quoad isti docerētur. Adoratio interna potest absq; piculo adhiberi, neq; externa sua natura

oratio.

Augustinus.

Adoratio in quibus rebus cōstituatur. Deus & Christus adorādus ubi se nobis declarant.

Num adoratiōe per externa signa liceat uti coram Eucharistia.

natura esset mala. Multi enim pie genuflectunt & adorant, illis verbis Euangelij auditis, Et verbū caro factum est, nec tamen ipsa uerba dicendi sunt adorare, verū illorū significata. Quod idē hic fieri quid prohibet, modo non adorentur symbola, sed quod per illa significatur? Verū hoc tempore ob prędictā causā fortasis adoratio externa, nō est oportuna, nisi frequēs de his rebus esset in cōcionibus mētio. Ne q̄ ex meis dictis ansā quis arripat, licere statuas aut picturas adorari, eò q̄ ibi deus et Christus videātur nobis interdum efficaciter se declarare, quoniam apertum verbum habemus ne imagines nobis faciamus ad adorandum, sed quoad verba sanctę scripturæ, et sacramenta, vt audiendo vel percipiendo ea adoremus, nihil prohibet, quia dei sermone, uoluntate, ac iussu, instituta sunt, vt ad cultum dei prouocemur, qui situs est in adoratione. Nec minus ex hoc elicere debes Eucharistiæ reliquias adorandas esse, nam quicquid habent virium symbola, id ex spiritu sancto, verbis domini, et instituto eius habent, quę extra vsum sacramenti non extant. Et promissio habetur dum māducamus et bibimus. Quare dogma illud de conseruatione non fuit catholicum, quia tēpore Hesychij, vt ipse testatur super Leuiticū, Eucharistię reliquiæ comburebantur, quod idem habes in Origene super Leuiticum, licet idem sit liber, qui duobus ascribitur. Et Clemens Romanus pontifex, vt patet ex eius decreto, quod habetur de consecratione distinctione. 2. constituit, vt reliquiæ sacramenti huius comederentur à clericis. Nō negamus quādoq̄ fuisse seruatas, uerū id fiebat absq̄ adoratione, et superstitiosis cultibus. Dabātur pueris

Picturę et statuæ nū adorandæ

Reliquijs eucharistiæ post vsum sacramenti.

eris et mulierculis deferendæ ad ægrotos, vt liquet ex historia Eusebij Cęsariensis, et ex Hieronymo. Sumptionemq; istarum reliquiarum quæ ita fiebat extra cętum sacrum, et ritum à dño institutũ, non facile dixerim, fuisse iustã cõmunionẽ. Quã tamẽ haberi potuisse apud ęgrotos cõcederẽ, modo repetierint sacra verba, et aliquot fideles ibi dñi ritũ inter se agitarint. Vbi enim plures nõ cõmunicant, ratio sacramenti huius non retinetur: Christus dixit, Accipite, edite, et bibite. Frangitur panis, quod ad distributionem pertinet, atq; in canone suo multa dicunt, quę nisi multi communicent, mendacia sunt. Præterea dicitur cœna, communio, synaxis, quę nomina priuatę actioni parũ conueniunt, Neq; priuatas missas unquam apud veteres legimus.

De Eucharistia missa per domos.

Honorius Romanus pontifex decretum induxit, ut Eucharistia seruaretur, et adiecit honorem ac reuerentiam illi exhibendam cum circumferretur. Quod si ante eum factum fuisset, illum non oportuit hac de re sancire decretum. Vtq; in summa agamus, hoc sacramentum asserimus (vt prius dictum est) suam non habere vim, aut efficaciam, nisi dum agitatur et percipitur, quod et in omnibus alijs sacramentis fieri vides. Hilarius nobis opponitur, sed is habuit maximas controuersias cum Arrianis, contra quos agit, qui putarunt inter patrem et filium non esse coniunctionem, nisi per concordiam voluntatis. Hilarius contra istos inquit: Vos interrogo, an inter nos et CHRISTVM coniunctio sit ex proprietate naturæ, vel ex voluntatis concordia? Volebant enim Arriani arripere illum locum quo Christus precatus est, vt nos vnum

Ad Hilarium.

num efficeremur cum ipso, sicuti ipse & pater vnũ sunt inter se. Locus est in Iohane capi. 17. vbi dicitur, Sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Adijciebant hæretici nos minime habere cum CHRISTO coniunctionem, nisi consensus et voluntatis, atque per hoc inferebant, inter filium Dei et Patrem, non aliam atque istam vnionem siue coniunctionem intercedere. Fuit itaque Hilarij demonstrare nos Christo vniri naturaliter, vt concludat filium quoque patri naturaliter adiungi. Probatio eius ita habet. Si Dei verbum vere assumpsit naturam humanam, carne sua naturaliter communicat nobiscum, et nos dicimur manere in eo, quia ipse habet in se naturam nostram. Et viciſsim in dominico cibo, si nos accipimus vere carnem illius, participamus cum eo naturaliter, & vere ille manet in nobis.

Atque ita Hilarius argumentatur à veritate sacramentorum, quam nos minime inficiamur, fuitq; is mos veterum, vt à sacramentis, quasi à rebus notissimis, argumenta depromerent. Nihil autem istorum est quod nostræ sententiæ aduersetur, quia Hilarius non contendit sub accidentibus, aut in hoc sacramento latitare, atq; opertam esse CHRISTI carnem, sed astruit tantum, nos communicando, vere coniungi carni CHRISTI, quod nos minime negamus. Verum mihi consydera illum eundem nõ multo ante hæc uerba quæ facit de Eucharistia, idem dicere de baptismo, quod per illum Christo coniũgimur, et in nos, non solum unitate assensus et uolũtatis, sed naturę, quare cogimini ibi quoq; ponere trãsubstantiationem. Si propterea in

Eucha-

Eucharistiã illam infertis. Non multum ab hac consuetudine sumendi argumenta à sacramentis, abest Chrysostomus, qui in Homilia super Matheum. 83. inquit (vt supra citauimus) hæc symbola esse domini Iesu, quibus et refrenamus, & oppilamus ora hæreticorum. Dicunt enim sæpius quomodo passus est Christus? & nos uicissim obijcimus, si Christus veram carnem non habuit, inania sunt hęc symbola. Quod bene sequitur, quia res fictitias nobis repræsentarent. Atq; ita Manichęi, Marcionitę, & aliæ huiusmodi pestes ab illis compescebantur

Ad Leonẽ

De Leone pontifice Romano, non est quod multũ laboremus, quia ille in sententia nobis obiecta, & mysticam distributionem asserit, ponitq; spiritualẽ alimoniam, atq; uirtutem cœlestem, nosq; affirmat in carnem Christi transire, sicut ille nostram sumpsit. Emisenum citant, cuius verba leguntur de consecratione dist. 2. sed illic si recte inspicias, hęc uerba inuenies: Mente attingas, & manu cordis accipias corpus Christi. Ex quibus uerbis liquet, eũ statuere, nos mãducare spiritualiter corpus dñi. urget præterea uehemẽter ut cęteri patres, mutationem nostram in Christũ, quæ tamen (ut uidemus) fit absq; transubstãtiatione. Scio posse mirari nõnullos, cur tam sępe opponamus mutationi, quam uidentur patres astruere in symbolis, mutationem nostri, quam eandem constanter affirmant. Imaginanturq; aliqui esse longe aliam coniunctionem inter corpus Christi, & symbola, cũ sit inter nos et corpus CHRISTI, ideoq; non tenere analogiam et proportionem, tametsi patres vtranq; ponant. Istis occurrimus, et dicimus, argumẽntum nostrum esse efficacissimum.

Ad Emisenum.

Mutationẽ nostri in sacramẽtorum perceptione cur tam sępe commemoremus.

quia

quia est à maiori ad minus per negationē, est enim maior coniunctio Christi ad nos, et cum illis qui communicant, quam sit cum symbolis, cum igitur quoad nos, minime requiratur transubstantiatio, multo minus in symbolis. Quod autem nos magis coniungamur Christo quam symbola, ideo patet, quia ea coniunctio propter istam adinuenta fuit. Deinde, verba et spiritus, p quę cōsecrātur symbola, multo minus ad illa, quam ad homines pertinent. De Theophylacto dicimus, quod scriptor est recēs, & qui forte in illa tempora incidit, cum de transubstantiatione multa cepta sunt agitari, sub Nicolao pontifice Romano, tempore Lanfranci et Berengarij. Deinde homo fuit non magni iudicij, ut patere potest ex illius interpretatione. 3. ca. Ioan. ad finem, vbi taxat nominatim latinorum ecclesiam de processione spiritus sancti, quod ex Patre sit & Filio. Ideo non putabimus authoritatem eius tantam esse, quæ ueritati præiudicare debeat, nihilominus dicta eius excutiamus. Asserit panem non esse figuram corporis Christi, atque id super Matthæum. Quod si intelligat uacuam aut inanem, recte dicit, neque nos talem figuram ponimus, & hanc interpretationem illius esse non dubitamus, quia super Marcum asserit non esse figuram tantum: alioquin si prorsus negaret figuram esse, aduersaretur cæteris patribus, quos aperte ostendimus, & signum & figuram, hic ponere. Ait panem transformari, conuerti, & transelementari, quas locutiones si accipiat sacramentaliter, non abhorremus. Nam panis & uinum sacramenta fiunt, & transeunt in elementa diuinarum rerum, formamq; induunt symbolicam.

Nos Christo magis coniungimur quā symbola.

Ad Theophylactū.

Cæterum inquiunt, scribit iste, iccirco non videri carnem et sanguinem, ne horreamus, sed hæc verba si tu uelis acrius urgere, obijciemus, quod ille scribit in Marcum, Cõuerti species panis et vini in virtutem corporis et sanguinis domini. Quod si dixeris alibi non ineunt ui virtutem, sed in corpus et sanguinem domini, respondebimus hanc esse interpretationem illorum verborum, q̃ ista symbola virtutem assumant rerum, qua uirtute non minus habẽt sacramenta, ac si res ibi esset, et quemadmodum dixi, horror tollitur, si statuamus non in rem, sed in uirtutem fieri mutationem. Violentiõr videtur alia sententia eius, quam habet in ca. 6. Ioan. ubi scribit, Sicut mutabatur, dum super terram Christus uiueret, panis in carnem eius, usitata ratione alimenti per naturalem transmutationem, sic iste panis mutatur in corpus Christi. Hanc tamen collationem generaliter acceptam concedimus. Nam et in hoc sacramento mutationem sacramentalem non negamus. Quod si dixeris te uelle similitudinem hanc sumere prout affertur, ut tam tiere mutetur panis in sacramento Eucharistiæ, ut in cibo & alimento CHRISTI, conuertebatur in eius carnem, dum hic uiueret, consequetur absurdum admodum repugnans tuæ sententiæ, scilicet accidentia symbolorum non esse in hoc sacramento retinenda, quia ibi in alimento CHRISTI, dum hic uiueret non seruabantur. His adjiciam, quod iste idem interpres, cap. 6. super Ioannem, in illa uerba scribit, Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo, ait hoc fieri, dum quodammodo miscetur mihi, et transelementatur in me.

Species panis & uini in virtutem mutantur.

Vbi

Vbi rursus vides eum ponere vt cæteri patres tantam mutationem nostri in Christum, ut scribat nos in eũ transelementari, et tot de Theophylacto. Ex recentioribus adducunt Anselmum, Hugonem & Richardum Victorinos. Cæterum cum illorũ tempestate, iam dogma transubstantiationis obtrusum esset, scriptis suis inseruierunt tempori, neq; debet istorum noua inuentio præiudicare vetustissimæ opinioni ecclesiæ, et antiquorum patrum sententię. Sed inter alios unũ videntur plurimi facere, et ipse est Ioannes Damascenus, qui in quarto libro orthodoxæ fidei. capite. 14. hac de re fusissime scripsit. Ceterum istum vixisse inuenio sub Leone Isaurico græco Imperatore, & inter Gregorium magnum Romanum pontificem, atque istum Ioannem, interfluxerunt benè centum et viginti anni. Cumq; iam tempore Gregorij multa superstitiosa, & hominum inuenta coaceruarentur in ecclesia, res postea semper in deterius est præcipitata. Vnde non mirum, istum Damascenum in complura minus vera et superstitiosa impegisse. Quanti vero iudicij fuerit, tum in dogmatibus, tum etiam in sacris literis exponendis, habemus specimen. Nam imaginibus mirifice fauet, & pro illis tuendis grauia pericula obijt, atque in isto eodem libro quarto, proprium caput ea de re conscripsit, vbi vult non solum eas faciendas esse, verum etiam colendas & honorandas. Præterea sanctorum qui iã quieuerunt reliquias tãti fecit, vt ipsis quoq; certũ caput dicaret, ubi eas non veritus est appellare fontes donorum dei. Et dicere audet nos debere fide sanctos colere, quod est intollerabile, cum fides tãtum Deo et ver-

Ad Anselmũ & Hugonem.

Ad Ioan. Damascenum.

Aetas Damasceni.

Damasceni iuditiũ non adorant in verbis theologicis.

bis illius debeatur. Sermonem habet de purgatorio, ubi precibus Gregorij, Traianum Imperatorē idololatram, et martyrum persecutorem, liberatum fuisse ab inferni supplicijs autumat. Et precibus cuiusdam alterius Falconillam item fœminam idololatricam seruatam fuisse, cum iam mortua esset, ac tartareis penis detineretur. Atq; inducit fabulam de quodam Macario, qui sit collocutus cum defuncti hominis cranio, à quo audiuerit, tempore sacrificij missæ, defunctorum animas, quę in supplicijs vexãtur, mitius habere, totumq; sermonem his fabulis respergit. Isq; idem, cum de resurrectione scribit, eam probare nititur ex libro Geneseos, vbi legitur Dominum dixisse ad Noah: Carnem cũ sanguine non comedes, etenim requiram animas vestras de manibus bestiarum. Is inquit in resurrectione eas requiret, neq; enim propter hominem, bestiæ moriuntur. Videtur ignorare legem à deo latã in Exodo, ac in Deuteronomio, ubi mandatur lapidari bos qui cornupeta fuerit, et hominem occiderit. In capite aũt de virginitate scribit, Si Adamus nõ peccasset, non fuissent homines commixti in matrimonio ad procreandum, et quia videt sibi obstare diuinam sententiã, Crescite et multiplicamini, inquit, hoĩes forte potuisse ex alia pte corporis multiplicare. Ex theologis scholasticis nullus hæc diceret. Idem torquet Basilium. Nam cum videat eum dicere panem et uinum ἀντίτυπα esse, id est exemplaria corporis Christi, exponit illum, id intelligere, ante consecrationem, quod absurdissimum est, nam ante consecrationem, nil plus habẽt, quam alij communes cibi. Et si ita significarent corpus & sanguinem Christi,

Torquet Basilium.

iam

ſam ſacramenta eſſent ante verborum Domini prolationē. Deinde in grẽcorũ miſſa, poſt cõſecrationē aptiſsime orãt, ut panis fiat corpus & ſanguis Chri. Et nominatim in miſſa Baſilij res ita habet, ut poſt cõſecrationē illa verba ponãtur. Quin & in noſtro canone, ſi bene reſpiciatur, poſt conſecrationem nominatur panis. Sed iam uidenda ſunt eius argumenta. Primum eſt à potentia Dei, nam cum ualuerit cœlum & terram ſuo uerbo condere, plantas educere, animantia, uolucres, & piſces, cur non poſſit ex pane corpus ſuum facere? Quod genus argumenti eſt infirmiſsimum, neq; de potentia Dei nũc eſt diſputatio, quandoquidem non negamus deum poſſe panem in carnes conuertere, ſed tota contentio eſt, num id facere uelit. Alterum argumentum eius ex locutione Chriſti deducitur, non enim inquit à Domino dictum eſt, Hoc figura aut ſignum eſt corporis mei, ſed ipſum corpus Domini prædicatur. Cęterum ad hoc argumentum iam ſupra reſpondimus. Etſi iſte cum negat ſacramentum figuram eſſe corporis Domini, id ſimpliciter intelligat, aduerſum ſe habet fere omnes Patres, qui figuram hic agnoſcunt. Sin uero intelligat non eſſe figuram tantum, id eſt caſſum aut uacuum ſignum, nos quoq; id libenter damus. Quanquam immiſcet quædam uerba in ſuis ſcriptis, in quibus uideri poſsit nõ tam craſſe ut præſefert ſenſiſſe. Nam inquit: Panis communionis non eſt ſimplex panis, uerum diuinitatem habet adiunctam, quę nos facile admittemus, qui non dicimus hic eſſe cõmunem, aut ſimplicem, ſed iam ſanctificatum, conuerſumq; in naturam ſacramenti. Et diuinitas ideirco poteſt dici ei coniun-

Defenſio qualiſcunque Damaſceni.

cta, quod ipso ut instrumẽto utatur spiritus sãctus, ad nostrã salutẽ. Prẽterea collationẽ habet ad baptismũ, qua dicit cõsueuisse deũ cõdescẽdere nr̃ę cõsuetudini, & usitatis moribus, & quia homines lauare solẽt aqua, & ungi oleo, iccirco adiũxit Deus ijs rebus gratiam suam, & spiritum baptismo. Ita cũ mos hominũ sit edere panẽ, & bibere vinũ, ijs rebus adiunxit suam diuinitatem. At secundũ transubstantiatores nõ adiũxisset, uerum expũxisset illas naturas. Et ratio collationis requirit, ut sicut baptismi coniunctio cum gratia & spiritu sancto, non repellit aut extinguit naturam aquæ, ita res huius sacramenti, non perdant, aut abijciant symbolorum essentiam. Ait etiam Deum ita condescendisse nostræ consuetudini, ut per ea quæ sunt consueta, & secundum naturam, in ijs quæ sunt supra naturam collocaremur. Vbi attingit nostrã in Christũ transmutationẽ. Sed obseruãdũ quod sacramẽtorũ symbola, dicit esse secũdũ naturam, & ea si ponas accidẽtia tantum, absq; subiecto, aut quæ contectũ habeant corpus Christi, non sunt amplius secundum naturam, vtitur sane verbis quibus dicit naturam panis, transmutari, trãsumi, effici corpus Christi, quæ si accipiantur de mutatione sacramentali, contra nos minime pugnant. & quod etiam dicit supra naturam ista contingere admittimus. Non enim est naturale, ut ex communi pane sacramentum fiat, sicuti nec ex aqua constituitur naturaliter lauacrum regenerationis. Quod si ab eo quæras modum istius transmutationis in corpus Christi, ait etiam nobis facile non esse modum exprimere, quo in alimento naturali transeat panis in carnem nostram.

Cęte-

Cęterū de hac ſimilitudine quomodo accipi poſsit, ſuperius egimus ſatis cū de Theophylacto loqueremur. Si accipias generaliter hoc ſimile, & applices ad mutationem ſacramentalem ſatis eſt, ſin vero ſpecialiter volueris collationem fieri de tali mutatione, qualis eſt alimenti in corpore noſtro, quando conuertitur in carnem, tunc non ſolum cedere facies naturam panis, uerum etiam eius accidentia. Subdit panem effici corpus Chriſti, et uinum & aquam ſanguinem eius, ut iam non ſint duo, ſed unū. Si referat unum ad calicem & panē, quaſi iſta dicat unum ſacramentum eſſe, non multum laboramus, quia in iſta actione quaſi uno ſacramento Chriſtus nobis propinatur, inſtar alimoniæ. Quamuis accipiēdo geminam partem ſacramēti huius nō uereatur eccleſia, numero multitudinis, dicere, ſacramēta hic eſſe, & in collectis miſſarum poſt cōmunionē ſæpe legis, Sacramenta quę ſumpſimus, et quę ſequūtur. Sed ſi dixerint unū ſūt, ita, ut quaſi poſt conſecrationem iam panis & corpus Chriſti unū ſint, & non duo, ob incidentem tranſubſtantiationem, opponimus Irenæi ſententiam, qua ſcribit Euchariſtiā conſtare ex duabus rebus, nimirum terrena & cœleſti. Item Gelaſium Papam, qui argumentatur à coniunctione panis cum corpore Chriſti, manentibus naturis integris, unionem naturæ humanæ & diuinæ in CHRISTO, manente utraq; integra & inuiolata. Subdit præterea non dęjci hoc ſacramentum in ſeceſſum, neque certe poteſt aliter dici à tranſubſtantiatoribus, cum enim haud ponant in Euchariſtia quippiam præter accidentia, et corporis Chriſti naturā, nihil ex iſtis ad ſeceſſum pertinet

Euchariſtia unum ſacramentum dicitur.

nihil

Contra

Origenes de sacramento an in secessum mittatur.

Contra hæc vero, ego obiicio locum apertissimum Origenis super Matthæum. ca. 15. vbi interpretatur ea verba: Quod intrat in os, non coinquinat hominẽ, et inquit: Si nõ coinquinat, nec etiam sanctificat. Cæterum quid dicemus de pane domini? num est verum q̃ neq; sanctificet, neq; coinquinet? Respõdet, q̃ si quid impurum videatur, minime contaminat nos, nisi per malam conscientiam, Ita et quod videtur et appellatur sanctum, nisi intus adsit iustitia, et integritas vitæ, non sanctificat. Nam si ex natura sui hoc haberet vt sanctificaret, non fuissent inter Corinthios, imbecilles et infirmi, ac dormiuissent multi. Quod itaq; materiale est in pane domini, in ventrem transmittitur, et in secessum eijcitur. Quod vero est per obsecrationem et verbum domini, animæ prodest, iuxta fidei portionem. Non itaq; materia utilis est, sed verbum quod adijcitur, animo prodest. Et ne putes eum loqui de alio quopiam cibo, recapitulat et inquit: Hæc de corpore mystico atque symbolico. Nullus autem ad hæc causetur, Origenem quandoq; errasse in dogmatibus, quia Hieronymus, Epiphanius, et veteres, qui eius errores diligentissime produxerunt, nusquã meminerunt male eum sensisse de Eucharistia, id non facturi, si in tanta re exorbitasset. Et in eodem loco apertissime adijcit, impios corpus Christi non comedere, quia viuificum est, et qui illud manducat, in ipso manet. Isti ergo Ioanni Damasceno recenti scriptori, et non adeo illustri, obijciatur Origenes antiquissimus et summæ celebritatis. Post hæc ex concilio Ephesino obijciebantur nobis quæ à Cyrillo, nomine eius scripta fuerunt ad Nestorium Constantinopolitanũ

Ad ephesinum concilium.

litanum episcopũ nam contra eum, tunc agebatur, qui ponebat in Christo personam humanã, à persona filij Dei prorsus discretam, atq; seiunctam, ut non intercederet alia coniunctionis ratio, quam dignitatis. Contra illum argumentatur à natura sacramẽtorum: Si caro Christi est ita separata à persona diuina, consequitur, eam non esse uiuificam. Cumq; nos comedamus in sacramentis carnẽ Christi, ederemus hominis carnem, utcunq; sanctificati, & excellentis. Sed inde iuxta promissionem, ęternã uitã non possemus nanciscí. Hic est scopus omniũ illarũ disputationũ. Non contendunt illi patres, neq; conantur astruere, quod in pane latitet caro Christi, sed in sacramento volunt nos eam comedere, & quidem vere, ac talem comedere, quæ nobis vitam æternam donet. Quæ nos minime negamus, modo esus, ad animum & fidem, intelligatur pertinere. Nam in sacramento manducare spiritualiter, sed vere, carnem CHRISTI, concedimus. Nec vnquam fingimus talem quæ seiuncta & diuisa sit à diuina persona, verbi. Concilium Romanum aut Vercellense nobis obijciunt, ubi fuit damnatus Berengarius, & ad palinodiam compulsus. De quibus conciliis, cum eorum acta non extent, multa non possumus respondere. Quare conducet, vt expendamus ipsam palinodiam à Nicolao Papa in illo concilio Berengario pręscriptam, & ex ea videre poterimus, quæ fuerit grauitas istius concilij, et quàm bene fuerint mentis compotes, qui ei præerant. In Decretis de consecratione distinctione. 2. capite Ego Berengarius, habetur descripta, in qua iste coactus est fateri corpus Christi sen-

Ad concilĩ Vercellense & Romanũ de Berẽgario.

Berengar

Palinodia Berẽgarij

sti sensualiter, sacerdotũ manibus tractari, frangi, et dẽtibus atteri: quæ vt bene cõueniãt corpori Christi iam glorificato, et illi sacramento, esto cuiuslibet,

Glossator decretorũ

prudentis iuditiũ. Glossator decretorũ, homo alioquin pinguioris intellectus, tantam absurditatem non potuit non videre, vnde inquit ista esse accipienda, admodũ caute, et dextere, quod ni fiat incides inquit in errorẽ maiorem, quã is fuerit, quo laborauerit Berengarius. Vidit enim nõ conuenire, ut corpus Christi sensualiter dicatur attrectari in sacramẽto, aut frãgi, aut dentibus atteri. Et magister sen

Magister sententiarum defendit palinodiam per tropum.

tentiarũ in. 4. vult mederi huic plagæ, et inquit, ista attribuenda esse non corpori Christi, sed symbolis, quæ ipsi ponunt esse accidentia. Et ita statuit in ista locutione tropum, quo attribuatur rei, id quod est symbolorum, quo tropo si nos utamur, et quidem tempestiuè, interpretando patrum dicta, dũ ad populũ magnifice loquebantur de hoc sacramẽto, exclamãt aduersarij, nos corrumpere, et vitiare, ac falsare illorũ scripta, cũ tamen hic ipsi ad easdẽ confugiant anchoras, tropũq; volunt, ubi minus esse debuerat, nimirum in explanando dogmate, et palinodia formanda, quę debuit esse omnium clarissima. Itaq; nõ moramur hoc conciliũ, cum ibi tam crasse actũ fuerit. Opponũt etiã Synodũ Constantiensem, ubi

Ad concilium Constantiense

fuit damnatus wicleffus, et combusti Ioannes Hus, ac Hieronymus de Praga, ob uarios articulos, sed præsertim eò quòd senserint cõtra trãsubstantiationem, quę ibi pleno decreto fuit constituta. Hoc ve-

Cõcilium Constantiense perfidũ et crudele.

ro concilium non possumus non appellare perfidũ, cum illos duos viros occidi curauerit, qui eò venerant sub fide publica. Quod etiam Imperator gra-

uiter

uiter tulit, nam is fidem suam interposuerat, alioquin Bohemi nunq; illos viros ad id consilium ire iuissent. Quodq; ibi cõstituerint de transubstantiatione, argumento est, eam esse recentem sententiã. Neq; valet quod multi dicunt, eam ibi fuisse confirmatam decreto, non autem primũ constitutam, quia sub Nicolao pontifice Romano in Synodo Vercellensi, atq; Romana, satis aperte fuerat declarata. Concedimus quippe istam sententiam ante concilĩ Constantiense vtcunq; erupisse, atq; fuisse obtrusã, sed quia nõ plene recipiebatur, atq; multas passim habuit cõtradictiones, ideo iudicarũt necessariũ eã rursus cõstabilire, et quidẽ tyrãnicè, nimirũ igne et diris cõminationibus. Cęterũ concilio huic obijcimus generale et Oecumenicum concilium Florẽtiæ habitũ, sub Eugenio quarto pontifice Romano qui ibi interfuit, et aderat una imperator Gręcorũ, cum patriarcha Constantinopolitano, et multis episcopis Orientalibus. In quo concilio, ecclesia gręca latinæ est coniuncta, et consenserunt in diśidio de spiritũ sancto. Atque in gestis illius concilĩ videre licet, posteaquam inter Orientales et latinos conuenisset de quibusdam articulis, voluisse papã vlterius progredi, et illos adigere ad transubstantiationem tractandam, et recipiendam vt Latini sentiebant. Ibi græci reluctati sunt, et de ea re agere noluerunt, neq; perpelli ullis argumentis potuerunt, ut de ea consensus iniretur. Cunq; vnionis litteræ essent formandæ & publicandæ, prorsus cauerunt, vt huius rei nulla mentio fieret, quod & obseruatũ est, vt patet in Bulla Eugenĩj, quæ incipit, Exultent cœli, et lætetur terra, In qua gratulatur orbi

Sententia de transubstantiatione recens.

Concilium Florẽtinũ.

Christiano hãc fęlicitatẽ, qđ eccleſia Græca atq; latina rurſus coierint. Vnde ſi tanti momẽti fuiſſet iſta trãſubſtantiatio, eccleſia Romana, nũquã cũ græca voluiſſet coniungi, quæ eam non ſuſceperit. Nam hæreſim hodie dicunt eſſe et peſtiferam, illam non admittere. Non autem credendum eſt latinam eccleſiam tum voluiſſe cum hæreticis ſe coniungere, atq; cum illis communicare. Et hinc etiam ſoluitur argumentum, quod afferebant de vniuerſali conſenſu eccleſiæ, non enim eſt uerum quod aſſumunt, omnes eccleſias in iſtud conſpiraſſe: nam illa vetuſta, quæ fuit patrũ tempore (vt oſtendimus) nequaquam ſibi talia confinxit. Item orientalis & græca eccleſia non perinde ſenſit, atq; nos. Adijciunt prętera ſuis argumentationibus, maxima encomia diuinæ potentię, ut homines inducant ad credendum tantum miraculum. Sed eſt argumentatio debiliſſima, quod fuerat oſtendendum, nunquam uerè demonſtrarunt, uidelicet hoc deum uoluiſſe facere, & hoc ſacras litteras nobis promittere. Quod enim adducũt, Hoc eſt corpus meum, controuerſum eſt, & poteſt habere alium ſenſum: Vnde argumentatio redditur infirma. Et quodam typo oſtendemus eius debilitatem: Dominus dicebat Nicodemo, neminẽ poſſe ingredi regnũ cœlorũ, niſi renaſceretur. Is cæpit interrogare, Quomodo poteſt homo adultę ętatis, & alioquin ſenex iteratò ingredi in vẽtrem matris? potuiſſet ei dici, Iam Chriſtus aſſeruit ita futurum, quid tu dubitas de potentia Dei, qua omnia creata ſunt? per illam indubitato poteris denuò ex ventre matris naſci. Verum non ita eſt actum, ſed Chriſtus declarauit totum hoc futurum eſſe per re-

Ad argumẽtum de diuina potentia.

Vide ſimile de Nicodemo.

gene-

generationem ſpiritualem. Nam etſi aquæ mentionem fecit, quę ad baptiſmum pertineret, attamẽ ſpiritu renaſcendum eſſe apertiſſime docuit. Ita uidemus hoc loco accidere. Præcipit Chriſtus ut manducemus carnem ſuam, & accipiendo panem, inquit: Hoc eſt corpus meum. Tranſubſtãtiatores dicunt, Nõ poteſt fieri, ut ſit corpus domini una cum pane, unde oportet, ut eius natura tranſubſtãtietur in corpus Chriſti, & potentia Dei volunt hoc perſuadere. Sed interim obijciunt, nos hoc ſoli non facimus, quia Chryſoſtomus, Ambroſius, & Cyrillus, cum diſputatur de hac mutatione, ablegãt nos ad potentiam Dei, & illam miris laudibus celebrant. At reſpondemus patres recte loqui. Nam procul dubio ad potentiam Dei pertinet panem & vinum mutare ut ſacramenta ſint, quæ ante non erant, neq; id eſt opus naturæ, ut tam potenter & efficaciter ſignificent, offerãt, & exhibeant corpus & ſanguinem domini, apprehendenda animis noſtris, et fide. Quare ſpiritus ſanctus hic ſe admiſcet, ac multum ualet inſtitutum domini, & uerba diuino afflatu prolata, & nunc repetita, multum conferunt. His adde mutationem ſiue conuerſionem noſtram in Chriſtum, dum cõmunicamus haberi, quæ omnia uim naturæ ſuperant. Nunc autem, cum potentia Domini ſupernaturalis requiri poſsit ad omnia iſta, ipſi applicant eam ad tranſubſtantiationem. Atq; eſt, veluti ſi argumentaremur ab vniuerſaliori ad particularius affirmatiuè, quod minime licet. Addas quod in baptiſmo requiritur eadem potentia, quandoquidem non eſt opus naturæ, vt aqua fiat lauacrum regenerationis. Sed hic nonnulli parum æquo animo patiuntur,

Cur patres cũ de hoc ſacramento loquuntur, prædicent Dei potentiam.

tiuntur, quod sic baptismus conferatur Eucharistię, nam etsi negare nequeunt in baptismo quoq; adesse Christum, & nobis dari, nā scribitur: Quotquot baptizati estis, Christum induistis, attamen inquiunt, melius et excellentiori modo, Christus est in Eucharistia quàm sit in baptismo, ideo transubstātiatur panis, & nō est necessarium ut aqua transubstantietur. Quibus respondemus, non multum esse laborandum in vtro sacramentorum Christus præstantius sit, modo utrobiq; esse concedatur, & sicuti in uno potest esse, salua elemētorū substātia, ita in altero. Quod si omnino contendere velis, de eorum dignitate, rationibus non inefficacibus, baptismi excellentia poterit demonstrari, quandoquidem plus est generari, q̄ nutriri, deinde baptismus multis miraculis fuit illustratus, cœli aperti sunt, uox Patris audita, & Spiritus sanctus in columbæ specie uisus, quæ in Eucharistiæ institutione minime contigerunt. Et hæc non dicimus ad sacramenti huius deiectionem, est enim dignissimū & honore maxime suspiciendū, sed ideo proferūtur, ut respōdeamus inducte obiectioni de potentia dei. Atq; iam supra ostendimus ex Augustino de trinitate lib. 3. cap. 10. Non esse ponenda miracula tam ingentia, ut isti asserunt. Quod idem patet, si recenseas carmina Gregorii Nazianzeni, quibus est complexus omnia Christi miracula, neq; istorum fecit ullam mentionem, quæ tamen, si eis credimus, sūma sunt, & incomparabilia. Augustinus item dum mirabilia sancte scripturæ complectitur, quodam suo ut inscribitur libro, miraculorum transubstantiationis non meminit. Quare liquet non esse inducendū

Vtrum sacramētum dignius baptismus, an Eucharistia.

Patres tacuerunt miraculū trā substātiationis.

argu-

argumentum pro hac opinione à potentia Dei, quã nos minime negamus, imo etiam in hoc sacramento, illa opus esse contendimus. Obijciebant proxime suam sententiam fuisse confirmatam multis prodigijs, & miraculis, quæ leguntur apud Cyprianum, in vita Gregorij, & apud complures alios scriptores. Dicimus ad hæc, miracula potuisse fieri circa Eucharistiam trifariam, uel ad arcendos facinorosos homines, & indignos à tanto sacramento, & hoc genus miraculorũ amplectimur. Scribit enĩ Apostolus inter Corint. multos imbecilles fuisse, et infirmos, atq; dormiuisse multos, eo quod indigne communicarent, et ad hunc ordinem ea puto redigenda, de quibus scribit Cyprianus. Aliud genus miraculorum est, quandoq; inductum, ad hoc sacramentum illustrandum, ut eius dignitas et magnitudo explicaretur, quæ etiam non respuimus, nam scimus et baptismum sæpenumero fuisse multis miralis ornatum. Tertium genus esse potest ad confirmandam istam sententiam, siue potius errorem, de transubstãtiatione. Et hoc pacto nobis aduersarij ista opponunt. Cęterũ huius generis miracula, prsus reijciẽda sũt. Atq; de hoc admonemur p legẽ, ut q̃ties ꝓpheta ad idololatriam et supstitiones conatur inducere, etiãsi miraculis fidẽ faciat, ei nõ est credẽdũ, imo voluit dñs, ut lapidaret. Scimus ad hęc, Antichr̃m vẽturũ esse, et signis et ꝓdigijs illustrẽ. Nec ignoramus tempore Mosis, astitisse Magos coram Pharaone, qui miracula ediderint aduersus Dei verbum. Et apud Irænenm lib. 1. legimus de quodam Marco impostore atq; Hęretico, qui in hoc Eucharistiæ sacramento mirifice illudebat simplicibus.

Miracula edita circa eucharistiam.

Nam

Nam vini colorẽ immutabat, vt prorsus appareret cruor, & parum vini sic excrescebat eius prestigijs, vt totum poculum impleretur, ac redundaret. Cũq; afferretur denuò calix amplior et capacior, is quoque sine adiectione liquoris, ad summum vsq; implebatur. Quis diceret ex istis miraculis comprobatam fuisse illius hęresim? Si Ethnicos accedamus, legimus fluxisse per terram, riuos sanguinis, pollicem Iouis emisisse sanguinem. Liuius narrat Romę pluisse carnes: Q. Curtius, Tyri, cum obsideretur ab Alexandro Magno, panem exudasse publice sanguinem. Et Apollonius Thyanęus, dicitur, cum esset in cõcilio, coram Domitiano imperatore, statim euanuisse, vt amplius non inueniretur. Et infinita sunt, quæ ethnici possent afferre, ad suum cultum Idolorum confirmandum. Ideo hæc miracula, quę isti dicunt facere ad roborandam superstitionẽ transubstãtiationis, omnino reijcimus. Neq; est magni faciendum, quod huc inducunt, De miraculo edito à Gregorio pontifice Romano: scribitur enim in vita eius, panẽ dñi, siue dixeris, Eucharistię sacramentum, conuersum fuisse in digitum carneũ: Quod si factum fuit, ob duas causas, quas ipsi recipimus, nõ est multũ contendendũ. Tametsi illa Gregorij vita non multũ habeat ponderis. Nam si Vincentio credimus, descripta fuit inde ab eius morte, post centum annos, à Ioanne Romano Diacono, et ad quendam Imperatorem Germanũ missa. Sed facta fuisse, Dũ aduersarij volunt inde concludere perinditium digiti carnei, latitare sub accidentibus corporaliter carnem Christi: Posset quispiam ex hoc miraculorum genere concludere, sub speciebus sacra-

Miracula apud Ethnicos.

Vita Gregorij Romani pontificis.

cramentalibus contineri cineres & carbones, quia in ista semel conuersus est sacer panis, tempore Cypriani, ut ipse scribit. Credo etiam non esse ignotas nebulonum imposturas, quibus usi sunt sæpius ad confingenda miracula. Alio argumento plurimum obtrudebant, corporis glorificati, quod post resurrectionem spirituale appellatur, dignitatem, quam nos minime inficiamur. Admonemus tamen eius quod Augustinus habet, in epistola ad Cõsentium huiusmodi corpus, nõ ita esse spirituale, ut transeat in naturam spiritus. Nam Paulus, & corpus quoddam appellat animale, quod nõ sic est intelligendũ, quasi corpus transeat in naturam animi. Et rursus idem 13. de ciuitate dei, cap. 20. scribit. Animus quãdoq; dum obsequitur carni, appellatur carnalis, non quod transeat in naturam carnis, ita & corpus dicitur spirituale, nõ propterea quod abeat in naturam spiritus, sed quia spiritui prorsus erit subiectum, ad eius implendam uoluntatem. Et Hieronymus in epistola ad Pammachium, quæ apologia fuit contra Ioãnem episc. Hierosolymitanum, qui surgentium animis corpus attribuebat æthereum, siue aëreum, quod nec tactui nec visui, subiaceret, omnibus modis contendit, Christum habuisse post resurrectionem verissimum corpus, & illud quidem uisibile. Et occurrit obiectiõi: Si ita fuit uisibile, & idem corpus, quare non agnoscebatur, quãdo instar peregrini se demonstrabat? Respondet, quia oculi eorum tenebantur, ne illum agnoscerent, ac si diceret, quod attinet ad naturam corporis, & uisibile fuit, & cognosci poterat, sed in oculis impedimentũ fuit, qui detinebantur. Cum itaq; Christus uerum corpus

De corpore glorificato.

Corpus glorificatum visui & tactui subiacet.

habuerit post resurrectionem suis dimẽsionibus et spaciis constrictum, non est q̃ velimus exuere ipsũ istis proprietatibus, et conijcere in angustias minimi fragmenti panis, quasi in eo totum quantũ quãtũ est, contineatur. Verum, si etiam istud per Dei potentiam fieri posse detur, nũ ilico poterit cõcludi factum esse? Infirmum est argumentum, vt antea docuimus. Ratiocinabãtur et à græco articulo, cum Christus dixit, τοῦτο ἔστι τὸ σῶμά μου, quasi articulus vim habeat propositionem contrahendi ad propriũ sensum, et tropicum non permittat. Decipiuntur isti, non enim semper ea est vis articuli græci, quod clare patet ex capite .8. Euangelij Lucæ, ubi Christus explanat, quam proposuerat parabolam, de seminante semen, et inquit, ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, ubi vides ad verbum dei, græcę adiectum esse articulũ. Nec tñ effecit ista locutio, vt verbũ dei teneatur, quasi ꝓprie, realiter, et corporaliter insit illi semini, qđ iactatur in agris, de quo parabola iam ab initio proposita fuerat. Declaratur aũt in eo contineri vi, et propritate significationis, quo pacto, et nos accipimus, in verbis dñi, cum inquit, Hoc est corpus meũ. Corpus enim dñi, de pane dicimus nõ prędicari, nisi per significationẽ. Argumentũ erat prętera, de ꝓmissione Chri, cũ dixerat, Ero vobiscũ vsq; ad consũmationẽ sęculi, quę nostrę sententię minime obstat. Confitemur enim Christũ uobis adesse ꝑ naturam diuinã, item per gratiã, et multa dona, quæ nobis affert spiritus eius. Deinde si sanguinem & carnẽ illius cupimus, ea possumus complecti in hoc sacramento, fide, et spirituliter manducare, ad quod postea consequitur, uerissima arcana tamẽ, et ineffabilis

De græco artic. τὸ.

Christus adest nobis usq; ad cõsumationẽ seculi.

bilis nostra cõiunctio cũ Christo, quãdo in illũ mutamur. Deinde ponebatur, si res ita habeat, cõsequetur, nostra sacramenta nil plus habere, quàm sacramenta veteris legis, cum in illis quoq; significaretur Christus, imò forte si respiciamus naturã symbolorũ, illic plenius res adũbrabatur, quã in nostris sacramẽtis, quę prorsus incruẽta sũt. At in antiquorũ victimis, cœdes aperte videbatur, et sanguis ibi fusus clarius mortẽ dñi figurabat, atq; ob oculos ponebat q̃ noster panis aut vinũ faciãt. Respõdemus, quod ad rẽ attinet, nostra sacramenta, eadẽ sunt cũ veteribus, idẽ vtrobiq; datur, tametsi varia sunt signa. Et hoc Paulus attestatus est in hac epla Corinthiorũ. Habẽt nihilominus nostra sacramẽta multas prærogatiuas præ veteribus. Sunt enim firma, et nõ amplius mutanda, vsq; ad finem sæculi, neq; ostendunt rem faciendã, sed factam. Sunt simpliciora, et pertinent ad ampliorem, numerosioremq; populum, Cumq; sint clariora, maiorem fidem excitant, et inde sequitur uberior copia spiritus. Quod clariora sint, nõ prouenit, ut aduersarij sibi fingunt, ex externa symbolorum præfiguratione euidentiori, sed ex natura uerborum, quæ ibi proferuntur. Etenim annunciatur nostra redemptio perfecta, illustrioribus, & clarioribus verbis, quàm vulgus apud veteres intellexerit. Qđ si clarius res exponitur verbis, nõ est attẽdẽda externa repręsẽtatio. Mirabãtur ad hæc qui fieri possit vt ecclesia tã diu fuerit in errore, et quidẽ nõ leui, si ita sit, ut dicimus. Qđ tñ non mirarentur, si cogitarent quę Chrs dixit, de suo postremo aduentu: Putas ne cum venerit filius hominis, fidem inueniet super terram? Et tantus ostenditur

Discrimẽ nostrorũ sacramentorũ et veterum.

An ecclesia diu relicta sit à deo in errore.

futurus error, ut si fieri possit, etiam electi seducantur. In primo aduentu suo, dicãt nobis isti obsecro, qualem inuenit Christus ecclesiam? Nõne iam scribæ, & pharisæi, sacerdotes, atq; pontifices, omnia corruperant? & vitiauerant suis traditionibus? Neq; existimanda est tamen ecclesia prorsus in errore deserta, etenim semper extiterunt multi boni, quibus hæc displicuerunt, quiq; ijs reclamarunt. Vtq; in primo aduentu fuerũt, Symeon, Anna vidua, Ioseph, & Maria virgo, Elizabeth, atq; Ioãnes baptista, qui pij fuerunt, & optime sentiebant, & nõ poterat dici ecclesia prorsus deserta, ita & postremis his temporibus factum est. Non enim uniuersa ecclesia his traditionibus humanis est fermentata.

Aiũt etiam, quod attinet ad significationem, istud idem posse præstari per panem & uinum in conuiuijs, idcirco non esse, quod Eucharistiam tantopere suspiciamus. Sed argumentum est infirmissimum, quãdoquidẽ in cõmunibus cibis, nõ est dñi institutum, nõ sacramẽtũ, nõ audiũtur verba domini, neq; ulla est ibi ꝓmissio, ideo non sunt hæc inter se cõferẽda. Postremo loco inducebatur argumẽtũ, à ui et efficacia uerbi dei, quod ab Ambrosio, ut citat Algerius. 1. lib. cap. 7. appellatur operatorium, utpote per q̃ panis et uinum quæ manent eadem, cõmutentur in aliud. Quod attinet ab Ambrosij verba, ea libenter acceptamus. Nam et ipsi ponimus panem et uinum eadem manere, non quidem (ut transubstantiatores dicunt) quoad accidentia, siue species, ita ut mutatio, fiat abiecta substãtia, sed quod naturas proprias conseruari asserimus, mutationem uero tantum fieri per gratiam sacramentalem. Et efficaciæ ver-

verborum domini haudquaquã derogamus, non tamen ipsis quasi alicui excantationi deferendũ putamus, vt quocunq; modo, et quocunq; loco, à sacrifico proferantur super panc et vino, animo consecrandi, effectum consequantur. Totũ enim pendet ab instituto domini, et spiritus sancti actione. De Algerio non multum est curandum. nam fuit post Berengarij tempora, et eius palinodiæ meminit in suo scripto. Deinde quanti fuerit iudicij, ex quodam eius argumento patet, nam vigesimo primo capite primi libri, uolens probare tam pios q; impios, accipere corpus Christi in sacramento, quod sane consequitur ad transubstantiationem. Accipe simile inquit, de verbo externo, id est, de sermone qui fit per sonum, Ad quoscunq; perueniat eiusmodi sermo, continet, & habet secum, suum proprium sensum. Sed si perueniat ad intelligentes, ipsi cũ vtilitate audiunt, percipiunt enim quæ dicuntur. Sin vero perueuerit ad ineruditos et ignaros, non minus sensum proprium secum portat, sed sine vtilitate audientis, quia ipse non intelligit. Iste sumit in argumẽto uerba portare secum sensum, neque animaduertit, sensum non includi, aut inuolui, sicut aiunt realiter in sono aut caracteribus literarum, sed tantum per significationem. Quod idem, si ei dicatur de pane & vino in sacramentis, quod per significationem offerant corpus Christi, conuincetur suo simili. Ex quo etiam probatur impios non percipere corpus domini, sicuti imperiti, atque ignari, quando sermones græcos, aut latinos audiunt, eorum sensa non capiunt. Vnde nihil magis pro nobis dici potuit. Asserit idem author in primo cap. 2. libri, nequaq; accidẽ

Verbis domini ẽ differendum sed non ut fiãt instar excantationis.

Algerius monachus non magni iudicij.

tia in hoc ſacramento, ſecundum veritatem, putredinem, aut mucorem admittere, ſed tãtum ita nobis uideri, quod neq; ſcholaſtici dixiſſent. Quid enim hoc aliud eſt quam ſtatuere perpetuam ſenſus illuſionẽ? Ita de eo non eſt multũ curandum, tametſi tranſubſtatiationem ſuã omnibus modis conetur aſtruere.

Hucuſq; de prima opinione. Cur de illa fuſius actum ſit.

Egimus iã de prima opinione, & quidẽ fuſe. Nã ea ſubmota, cõplures tollũtur ſupſtitiones. De alijs duabus nõ tã multis diſſeremus, quia utra earũ ponatur, nõ uſq; adeo moramur, modo ſane intelligatur. Tantũ nũc dicemus de illis, quoad liceat uidere, quid in utraq; iudicemus euitandũ, & quid aſſumẽdum. Fuerunt itaq; nonnulli qui ſubſtantiam panis et uini retinuerũt, corpus autem & ſanguinem domini, Symbolis iſtis, in ſua natura adhuc manentibus, corpus & ſangninem domini coniunxerunt, nexu quam arctiſsimo, non tamen (ut arbitror) ita, ut ex illis coniunctis, una hypoſtaſis efficeretur. Realiter tamen (quemadmodum loquũtur) corporaliter, & naturaliter, dixerunt adeſſe pani & uino corpus & ſanguinem Chriſti. Alij uero coniunxerunt ſolummodo per ſignificationem. Prior ſententia Luthero attribuit, altera Zuinglio, tametſi ego audiuerim à fide dignis, Lutherũ non tam craſſe reuera iſta de re ſenſiſſe Zuinglius etiam nõ adeo, de ſacramẽtis tenuiter credidit. Et aiũt Lutherũ ad hyperbolas et ad ſermones, ueritatẽ utcũq; ſupãtes deflexiſſe, q; exiſtimauerit Zuingliũ, et alios velle ſtatuere ſacramẽta nuda et uana ſigna, cum tamẽ Zuinglius id nõ moliretur. Sed is q; ueritus eſt ne Lutherus ea poneret, quę et ueritati naturę humanę detraherẽt, et corpus Chri impanarent, unde magis adhuc nutriretur

De cõtentione Lutheri & Zuinglij.

ſuper-

ſuperſtitio, et ideo ten uius uiſus eſt ſacramẽto huic deferre, atq; ita exarſit contẽtio, pluſq; oportuit, fuitq; cauſa magnorũ malorũ, cũ tamẽ reuera contẽtio eſſet ỹ borũ potius, q; rei. Nos itaq; tractationẽ harũ duarũ opinionũ remouebimus à pſonis, nõ enĩ aſſerimus uel Zuĩgliũ uel Lutherũ ſic opinatos eſſe, ſed tãtũ ſẽtẽtias examinabimus quales circumferuntur.

Due reliquæ opiniones tractãtur remotis perſonis.

Quo ſe magis explicẽt q; Chri corpus tã craſſe cõiũgunt ſymbolis, duo ſimilia adducere ſolẽt. Primũ eſt, ſi cantharũ habeas plenũ vino atq; pnũciaueris: Hoc eſt vinũ, nihil mẽtieris: quãdoquidẽ ipſũ uinũ in cãtharo cõtẽtũ oſtẽdis. Identidẽ fiet, ſi ferrũ candẽs acceperis, et igne demõſtrato dixeris: Hoc eſt ignis: ibi nil falſi aut abſurdi abs te dicet. Sic iſti aiũt eſſe intelligẽdũ, q; ait Dñs, Hoc eſt corpus meũ, & manifeſte tropũ ſynecdoches admittũt. Nã cũ demõſtrẽt ſubiectũ cõpoſitũ, nõ eſt, q; poſitio uera, niſi quo ad rei demonſtrate alterã partem. Sciendum tamẽ, iſta ſimilia nõ accipi ab iis, quaſi opinẽtur, ut omnibus modis cũ re cõueniant: quia cõtendunt nõ localiter adeſſe Chriſti corpus, ſed tãtum diffinitiuè, q; tunc eſſe intelligunt, quãdo aliquid mẽſuris loci nõ circumſcribitur, ſed tamen ibi eſſe dicitur, quia eius natura aut eſſentia tũ illi loco deputatur, aut in eo operatur, quod vino exiſtente in cantharo minime cõuenit, etenim ibi habet ſuũ locũ quo circũſcribit. Adhęc iſti nõ dicerẽt corpus Chriſti ita eſſe in pane, ut ab eius qualitatibus uel accidẽtibus denominetur, Non enim uere appellari poteſt album, rotundum, piſtum aut coctum, quod tamen uidemus cõtingere igni qui admiſcetur ferro candenti. Nam figuram ferri, longitudinẽ, & latitudinem, atq; pfunditatem

Duo ſimilia.

ita

ita ſequitur, vt ab eiuſmodi figuris atq; formis denominari poſsit. Vnde aperte conſtat, hæc ſimilia in hac ſententia non accipi ab iſtis, quo ad omnes partes, ſed tantum, vt vera, atq; realis coniunctio ſacramenti, et rei, demonſtretur, quæ cum data fuerit, cõ ſequitur tam pios q̃ impios percipere corpus Chriſti. Primum, videlicet iſtam cõiunctionem realem, putant ſatis probatam, ex domini verbis. Alterum vero, nimirum q̃ etiã impijs detur corpus Chriſti, vident neceſſario conſequi, ſed iam oſtendimus oppoſitum, ſcilicet hęc verba Chriſti non adigere nos ad hunc ſenſum neceſſario: et efficacibus rationibus probatum eſt, impios tantum ſumere externa elementa. Solent iſti etiam argumentari, ſi tropice accipiantur verba ſcripturę, tum facile fieri poteſt, vt multa præcepta ſubuertantur, potuiſſet enim Abrahamus de circumciſione dicere, quando præcipiebatur. Sermo eſt figuratus, atq; huic mandato ſatisfaciam, ſi cor meum circumcidero, & cupiditates ac vitia carnis reſecuero, Item cum delectus ciborum mandabatur, dixiſſent Iſraelitæ, executionem illius præcepti, poſſe conſtare morali obſeruatione, ſi ea peccata non perpetrarent, quæ immundis illis animantibus deſignabãtur, atq; ita, nec circũciſio, neq; ciborũ delectus locum habuiſſet. At infirmam eſſe hanc rationem inde poteſt probari, quod ex ipſa litera, ac textu, euincitur illum, non eſſe tropicum ſermonem. Quod enim attinet ad circunciſionem, dies octauus determinatur à pueri ortu, et additur, fœdus domini in ipſa carne futuſſe geſtandum, ex quibus liquet veram circumciſionem præcipi. Atq; in delectu ciborum, tam diſertè conditiones animantium

Apud iſtos impij ſumunt vere Corpus Chriſti.

Num tropi officiãt mandatis Dei.

tium mundorum & immundorum deſcribuntur, et quoad præuaricantes, purificatio inſtituitur, ut nõ ſit relictus ambigendi locus. Habemus etiam Auguſtini regulam de doctrina Chriſtiana, qua oſtẽdit, niſi iubeatur flagitium, aut bonum aliquod opus prohibeatur, orationem ſumendam eſſe abſq; tropo, quæ regula ſi adhibeatur ciborum delectui, atq; circumciſioni, oſtendet verba Dei ſimpliciter intelligenda. Dicunt adhæc, in prophetis & hiſtorijs tropos facile admitti, eo quod in his agat ſpiritus ſanctus more hominum, & eorum familiaribus locutionibus ſe accõmodet, ut vehementius, & magis exprimat, quæ ſunt dicenda, ſed in dogmatis atq; præceptis, non ita cenſendum eſt, omnia ſimpliciter, inquiunt, ſumi debent. Quæ eorum ſententia non eſt firma, aut uniuerſalis, nã quoad præcepta, Dominus inquit. Cauete à fermento phariſęorum, ubi apertiſsime tropo utitur, atq; tali, ut ibi Apoſtoli hallucinati fuerint. Præcipiebat deinde capite ſeptimo Matthęi, ut ſibi cauerent à falſis Prophetis, quoniam inquit, Ad uos venient in ueſtimentis ouium, intus autem ſunt lupi rapaces: in quo prȩcepto quis non animaduertat figuratã locutionem? Et in dogmatibus tradendis, non eſt dubium, figuras, & tropos adhibitos, inquit Paulus in nouo Teſtamento, Petra erat CHRISTVS: Nos ſumus unus panis: & de Deo ſcribitur, quod ſit ignis comburens. Contendunt poſtea corpus Chriſti poſſe ubiq; eſſe, atq; id ex verbis CHRISTI ad Nicodemum tertio capite Iohannis, ubi dicitur: Nemo aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo, ecce aiunt

Auguſtini præceptũ.

An in dogmatis & præceptis Dei ſint tropi.

An corpus Chriſti ſit vbiq;.

filius hominis, id est Christus, quoad naturam humanam, cum illis loquebatur, atq; etiam in cœlo erat, quia non potest humana natura à diuina reuelli, ergo quod asseritur de una, & de altera dicẽdum est. Sed respondetur nos minime uelle diuidere duas istas naturas à se inuicem, nõ tamen propterea sequitur, quod uni conuenit, alteri quoq; dandum esse. Hoc sane concedemus, diuinitatem Christi ubiq; esse, corpori tamen eius & humanitati non dabimus, atq; hoc quã apertissime docuit Augustinus ad Dardanum. Et quod adfertur ex 3. capite Ioannis idem Augustinus intepretatur secundum naturam diuinam intelligendum esse, quod filius hominis in cœlo fuerit. Neq; aliter sensit Chrisostomus, cum hunc locum exponit. Nam asserit, esse in cœlo non attribui filio hominis, nisi secundum naturam potiorem. Quam uerò infirma sit argumentatio duæ istæ naturæ coniunctæ sunt, igitur quod uni conceditur, alteri quoq; debet attribui, potest similibus demonstrari. Corpus solare ☉ & eius lux, habent inter se naturalem & summam coniunctionem, non tamen ad quæcunq; loca extendit se lux, ad ea Corpus realiter pertingit. Item corpus oculi nostri, & uisus, inter se admodum Coniuncta sunt, & tamen pertingit noster uisus ad multa, ad quæ corporis oculus non se extendit. Argumentantur postea corpori CHRISTI multa debere concedi, præter communem cursum & conditiones aliorum corporum. Atq; hoc duplici causa partim quia glorificatum est, partim qua verbum habet adiunctum. Nos fatemur plurima danda esse, sed hoc ut sit ubiq;, nõ ei conuenire potest, salua humani

mani corporis natura, et si hoc ei concederemus, non esset illud nobilitare, sed prorsus exitium ei afferre, nam tunc à sua natura extruderetur. Deinde hoc, negotio isti non multum conducit, quia etsi daremus corpus CHRISTI hoc habere, quod posset in multis locis esse, non tamen inde sequeretur, deum velle in hoc sacramento sic agere. Annituntur deinde probare istam corporalem prę sentiam à similitudine docentis, qui cum sua verba possit ad multos auditores extẽdere, in eis communicat eisdem ipsis auditoribus suum animi conceptum, ita ut illum omnes ex æquo penissime pęrcipiant, Sic inquiũt, agit dominus, in uerbis quæ proferuntur ad sacramentum, corpus suum illis inuoluit ut eis perferatur, ad omnia ista symbola, et percipientibus quibusuis cõmunicetur. Quod itaq; conceditur præceptori, et quidem terreno, cur nõ dabitur Christo. uerum collatio est admodũ diuersa, atq; ut dicebamus antea, uerba non deserunt res, aut conceptus animi, nisi ratione significationis. Quodq; postea conãtur astruere, corpus Christi, ubiq; esse, ex primo capite epistolę ad Ephesios, ubi dicitur, Christus datus caput corporis ecclesiæ, quæ est ut græcę scribitur, πλήρωμα τοῦ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου nihil est. Non enim significatur corpus Christi implere omnia, et esse ubiq;, sicut isti inferunt. Sed quia significatio illius verbi, siue participij πληρουμένου ambigua est, nam et actiue et passiue teneri potest, cum sit medium verbum, si passiue intellexeris, secundum græca scholia, iste erit sensus, quod Christus caput ecclesię, in omnibus suis membris, quoad oĩa implet, non q̃ in seipso perficiatur, Locus ad Ephesios.

satis enim et perfectus et felix est, sed quoad corpus et membra, id est intelligendum. Nam vt caput illi confertur, ita et ecclesia intelligitur plenitudo Christi, quod uidelicet eius corpus mysticum impleat et perficiat. Sin vero actiua sit eius significatio, tum dicetur Christus caput esse, eò q̃ omnia dona et virtutes ipse in omnibus membris suis perficiat. Neq̃ est sensus, eum qua homo est, ubiq̃ esse. Et putatur ex scripturis hoc posse conuinci, nam aperte fatetur Christus Lazarum esse mortuũ, quando ibi non erat. Quod si contenderit, illum tunc non habuisse corpus glorificatum, nõ multum ad rem facit, quia habuit nihilominus coniunctam diuinitatem. sed vt tollatur scrupus, etiam post resurrectionem, dixit angelus mulieribus, Surrexit, non est hic, et rursus, præcedet vos in Galilæam, atq̃ iterum sublatus est ex oculis eorum, cum in cœlum ascẽderet. Non itaque omnia implet, aut ubiq̃ est. Solent citare et locum ad Ephesios. 4. Qui descendit, idem ille est, qui ascendit, etiam super omnes cœlos, ut impleret omnia. Qui tamen locus nil probat, et dupliciter exponitur. Primo ut implere omnia referatur ad illa quę de Christo uaticinata et scripta erãt. Vnde statim supra citauit scripturã, ascendit in altũ, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et si ad loca volueris referre, hoc intelligas de generibus locorũ, nõ de vno quoq̃ singulariter, iuxta illud, Dñs vult omnes homines saluos fieri, ita dicemus Christum quandoq̃ media, quandoq̃ suprema, interdum vero infima occupasse, vt in Sepulchro.

Christus ut homo non est ubiq̃.

Aiunt transubstãtiatores hoc ad se nõ pertinere, eo quod minime dicant corpus Christi ubiq̃ esse, sed tantum

tantum ubi ſacramentum habetur. Imo aduerſatur eis, nã ſi (ut ſentiunt) nõ repugnat corpori Chriſti eſſe eodem tempore, & ſimul, in viginti, aut quinquaginta locis, non repugnabit eſſe in centum, aut in mille, et demum in omnibus, & ita conſtituent Chriſti corpus infinitum eſſe. Neq; eſt quod calũnieris argumentandi formam, quoniam illa eadem uſus eſt Hieronymus aduerſus Iohãnem epiſcopũ Hieroſolymitanum, ubi uult probare corpora noſtra poſt reſurrectionem, abſq; cibo manere poſſe, Nam inquit, potuit Helias, & Moſes, abſq; cibo manere Dei virtute per quadraginta dies, ergo poterit homo & pluribus diuina uirtute ſuſtentari, & ſi pluribus, conſequitur quod ſemper, modo uelit deus, ſed ut redeamus ad noſtros. Hi quia vident ad iſtam coniunctionem tam intimam conſequi, ut ſacramẽtum poſsit adorari, nam ſi ibi realiter & corporaliter dñs contineat, quis illum non adoret? Docent liberum eſſe, ut id facias, et non facias. Inquiũt enim, etſi ibi ſit, nõ tamen eſt in eum finem, ut adoretur, ſi accipias & manduces ſatis eſt, ſi etiam adoraueris, non erras. Nos uerò certius conſtituimus, in adoratiõe nõ eſſe ad ſymbola cõuertendã mẽtem ſed ſi quis, dũ agitur ſacramẽti ritus, de myſterio bene inſtructus, animũ ſuũ conuerterit ad Chriſtũ in cœlis regnantẽ adorandũ, recte facit, etiã id tenetur facere, ut Chriſtũ adoret, qui ſibi ſeipſum declarat, neq; ibi cõmittitur idololatria, quod Paulus docuit in iſta epſa ad Corinthios quãdo ait, Si quis ingrediatur cœtum veſtrum, ſi idiota ſit, & ſimplex homo, voſq; audiat omnes ſimul loquentes linguis, profecto dicet iſti inſaniunt, neq; ædificabitur.

Si Chriſti corpus poteſt eſſe ſimul ĩ multis locis, poteſt eſſe ubiq;, quod etiam Scotus uidit.

Faciãt iſti liberum adorationẽ.

Sin

Sin vero vos audierit prophetantes, et ſenſerit reuelari arcana cordis ſui, tunc procidens adorabit dominũ, non adorabit homines ita prophetãtes, ſed cum dominus ibi ſe illi reuelat, ad eum adorandum ſe conuertet. Rationes, in ſumma, propter quas minus videtur eſſe vera, tã craſſa exiſtimatio, ſunt iſtę,

Rationes cõtra ſecũdam opinionem.

1. Quod hęc realis et corporalis preſentia, nihil adfert vtilitatis, quod ex illa ſpirituali præſentia non habeamus. Nam Iohannis. 6. promiſit dominus edentibus ſe vitam æternam, deinde quòd maneret in eis, et illi in ipſo, quid ultra hæc requiritur?

2. Deinde non poſſet concedi, et nos et veteres habuiſſe eadem ſacramenta, quia realem hanc preſentiam nõ potuiſſent antiqui obtinuiſſe, cum filius dei nondum ſuſcepiſſet humanam carnem. Deinde cõ

3. ſequeretur et pios et impios corpus Chri mãducare

Preterea ultra illã ſpiritualem manducationẽ, quã

4. habemus in Iohanne, cap 6. aliam inducunt carnalẽ et corporalem, quæ non poteſt probari, cũ iſta & illa ſint eadem, niſi ꝙ in poſteriore adduntur ſymbola, ad rem magis confirmandam.

Sequitur poſtremo, quod cũ tantũ verbis tribuant, uerſantur in eadem difficultate, qua et tranſubſtantiatores, dum aiunt, Hoc eſt corpus meum. Nõ

5. enim ſe explicare poterunt, vt aperte dicant abſq; contradictione, quidnam demonſtrent. et quomodo uerba ſint uera, dũ ꝓferuntur, ſi tropũ nõ admittãt.

6. Corpus Chriſti diffũdũt, ut ſit ſimul in multis locis et vbiq;. Neq; valet ſi dicãt, nõ localiṫ, quia licet ibi ſit, ut angeli dicuntur eſſe in loco, nõ conuenit id creaturę, ut probatum eſt ſupra ꝓ Didymũ, Baſilium, Auguſtinum ad Dardanum, et Cyrillum, quæ

loca

loca reperies infra ad finem primæ disputationis.

Verba scripturę nos minime adigunt ad tam crassam corporalēq; prę- 7.
sentiā, et fides est ex verbo dei, nō itaq; fides illā cōplecti debet. Prēs adhęc secus do cēt. Nā quale corpus in eucharistia sit Cyprianus in sermone de cœna dñi ostēdit, cū ait, Qui vsq; ho 8
die hoc veracissimū et sanctissimū corpus suū creat, et sāctificat, et benedicit, et pie sumētibus diuidit. Propriū corpus Christi, non de nouo creatur, aut sanctificatur, neq; diuiditur. Chrysost. super Math. ca. 5. homili. 11. in opere imperfecto. Si ergo hęc uasa sanctificata, ad priuatos vsus transferre, sic periculosum est, in quibus non est verū corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur. Et quomodo nobis ad cœlum ascendendū sit, dū cōmunicamus, si corpore Christi frui volumus, idem exponit super epistola priori ad Corin. ca. 10. homil. 24. Iubet nobis, ut cū cōcordia et charitate maxima ad se accedamus, et aquilæ in hac uita facti, ad ipsum cœlum cuolemus; uel potius supra cœlum, ubi enim cadauer inquit, illic et aquilæ. Cadauer domini corpus propter mortē, nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. Aquilas aūt appellat, vt ostēdat ad alta eū oportere cōtēdere, qui ad hoc corpus accedit, et nihil cum terra debere esse cōmune, nec ad inferiora trahi, ac repere. Sed ad superiora sēper volare, et in solē iustitię intueri, mētisq; oculū acutissimū habere, aquilarū enim, nō graculorū hęc mēsa est. Idēq; in Mat. 26. ho. 83. Illi ab Ægypto in palestinā erāt, pfecturi ac ideo uiatoris habitū habebāt tu de cœlo i terrā ascēsurus es. Atq; in li. 3. de sacerdotio. Etiā ne te inter mortales ȳsari, atq; in terra consi-

consistere censes? an non potius in cœlum uestigio transfereris? an non carnis cogitationem omnẽ abiiciens, nudo animo, mente pura, circumspicis quę in cœlo sunt? Aug. ad Bonifaciũ eodem ordine, et censu habet omnia ista, tempore Paschę appropinquante. Hodie vel perendina mortuus est Christus. Die dominico, hodie surrexit Christus. Baptismus est fides, et sacramentum corporis Christi, est corpus Christi. Videmus autem in omnibus enumeratis loquutionibus, rem absentem realiter prædicari de re præsenti. Idem super psalmo. 54. Caput in cœlo erat, et dicebat, quid me persequeris? nos cũ illo in cœlo per spem, ipse nobiscũ in terra per charitatem. Et in epistola ad Ianuarium. 119. Vnde illi persequtori, quem voce mactauit, et in suum corpus traiiciens quodammodo manducauit, sonuit de cœlo, Saule Saule, quid me persequeris? In Iohannem tractatu. 30. et habetur de consecrat. dist. 2. prima quidem. Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas dominus. Corpus enim domini in quo resurrexit, vno loco esse oportet, ueritas eius ubiq; diffusa est. Item super Ioannem tractatu, 50. nam secundum maiestatem suam, secundum prouidentiam, secundum ineffabilem, et inuisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi, secũdum carnem vero quam verbum assumpsit, secundũ id quod de virgine natus est, secundum id quod à Iudæis compræhensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis inuolutus, quod in sepulchro conditus, quod in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me uobiscum.

Res absẽs de re præsenti dicitur.

Quare

Quare, quoniam conuersatus est secundum corporis prę-sẽtiam, quadraginta diebus cũ discipulis suis, et eis deducentibus, uidendo, nõ autẽ sequendo, ascendit in cœlum, & non est hic: ibi enim sedet ad dexteram patris, & hic est, non enim recessit præsentia maiestatis. Aliter, secundum prę-sentiam maiestatis semper habemus Christum. Secundum prę-sentiam carnis recte dictum est discipulis, me autem non semper habebitis. Habuit enim illũ ecclesia secundũ prę-sentiam carnis, paucis diebus, modo fide tenet, oculis non videt. Idemq; super epistolã Ioannis ad finem. Dominus ergo noster Iesus Christus ideo ascendit in cœlum, die quadragsima, cõmendauit corpus suum, qua habebat iacere, quia vidit multos honoraturos se, quia ascendit in cœlum, et uidit quia honor ipsorum inutilis est, si conculcant membra eius in terra. Et ne quis erraret, et cum adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra, dixit, ubi essent membra ipsius, Ascensurus enim dixit verba nouissima, post ipsa uerba non est loquutus in terra. Ascensurum caput in cœlum, cõmendauit membra in terra, & discessit. Iam nõ inuenis Christum loqui in terra. Inuenis eũ loqui, sed in cœlo, et de ipso cœlo, quare? quia membra calcabantur in terra, persequtori enim paulo dixit desuper, Saule, Saule, quid me persequeris? Ascendi in cœlũ, sed adhuc in terra iaceo. Hic ad dexterã patris sedeo, ibi adhuc ęsurio, sitio, peregrinus sum: Quomodo ergo corpus cõmendauit in terra ascensurus? cum interrogarẽt illum discipuli, Domine si hoc in tempore præsentaberis, & quando regnum Israelis? Respondit iturus, non est uestrum tempus scire, quod pater po-

fuit in sua potestate, Sed accipietis uirtutē spiritus
sācti supuenientē in vos, et eritis mihi testes in Hie
rusalem. Videte qua diffūdat corpus suū, uidete ubi
se calcari nō uult. Eritis mihi testes in Hierusalem,
& totam Iudęā & Samariā, usq; in totam terrā. Ec-
ce qua iaceo, qui ascēdo, ascēdo enim quia caput sū,
iacet adhuc corpus meum, qua iacet? per totam ter-
ram. Augustino cōsentit Cyrillus, qui ait super Io-
hannem libro 6. cap. 14. Hic animaduertendum,
quod etsi corporis sui prę sētiā hinc subduxerit, ma
iestate tamē diuinitatis semp adest, sicut ipse à disci-
pulis abiturus pollicetur, ecce uobiscum sum omni
bus diebus usq; ad consumationem sęculi. Idemq;
libro 9. super Ioannem capit. 21. Paruo autem tem-
pore una cum discipulis se fore Christus ait, non
quia penitus ab eis recessurus erat, nobiscum enim
est semper usq; in consumationē sęculi, sed quia nō
erat cum eis sicut prius conuicturus, Prope enim iā
tempus erat ut etiā in cœlos ad patrem abiret, crede-
re autem oportet fideles, quod licet à nobis corpo-
re absit, uirtute tamē eius omnia, & nos gubernari,
adesseq; semper ipsū omnibus q eū diligūt. Propte
rea dicebat, amē amē dico vobis, ubicūq; sūt duo ul
tres cōgregati in nomine meo, ibi sū in medio eorū,
Nā quemadmodū, qñ vt homo in terra cōuersabat,
tūc etiam cœlos implebat, et ăgelorū cōsortia nō re
linquebat, eodē nūc modo cū sit in cęlis, cū carne ter
rā nō replet, & cum eis est qui illum diligunt. Ob-
seruandum autem est, quia quāuis secundum carnē
solū modo abiturus erat, adest enim semp uirtute
deitatis, ut diximus, modico tamē tempore cum di-
scipulis se futurū dicebat, aperte seipsum nominans

ne

ne quis in duos filios diuidere Christū audeat. Accedit his vigilius, qui in 1. li. contra Eutychen scribit, Dei filius secundū humanitatē suā recessit à nobis, secundum diuinitatem ait nobis, ecce ego uobiscum sum vsq; ad consumationem seculi, Et mox Quia quos reliquit, & à quibus discessit humanitate sua, non reliquit, nec deseruit diuinitate sua, per formam enim serui quam abstulit à nobis in cœlū, absens est á nobis. Per formam Dei qua non recedit à nobis, in terris præsens est nobis, tamen & præsēs & absens, ipse unus idemq; est nobis, Item in lib. 4. Si uerbi & carnis una natura est, quomodo cum uerbum ubiq; sit, non ubiq; inueniatur & caro? nam quando in terra fuit, nō erat vtiq; in cœlo & nunc quia in cœlo est, nō est utiq; in terra. Et in tantū nō est, ut secūdū ipsā carnē expectemus Christum de cœlo uenturum, quē secundum uerbū nobiscum esse credimus in terra. Igitur secūdum uos, aut ŷ bū loco cū carne sua cōtinet, aut caro cū ŷ bo ubiq; est, quoniā una natura cōtrariū qd aut diuersū, nō recipit in seipsa, diuersū aūt & lōge dissimile, circūscribi loco, et ubiq; esse, Quia ŷ bū ubiq; est, caro aūt eius ubiq; nō est, apparet unū eūdemq; Christū utriusq; esse naturę. Et esse quidē ubiq; secundū naturā diuinitatis, & loco cōtineri secūdū naturā humanitatis suę, creatū esse et initium nō habere, morti subiacere, et mori nō posse. Et mox subdit, Hęc est fides et cōfessio catholica, quā Apli tradiderūt, martyres roborauerūt, et fideles nūc usq; custodiūt. Deinde Fulgētius ad Trasimūdū regē li. 2. Vnus idēq; homo, localis ex homine, qui est Deus immensus ex patre, unus idemq; secundum humanā substantiā

absens cœlo, cum esset in terra, & derelinquens terrã, cum ascẽdisset in cœlũ, secundum diuinam uero, immensamq; substantiam, nec cœlum dimittẽs cum de cœlo descendit, nec terram deserẽs, cum in cœlũ ascendit. Quod ipsius domini potest certissimo cognosci sermone, qui ut localem ostenderet humanitatem suam, dixit discipulis suis: Ascendo ad patrem meum, & patrẽ uestrum, Deum meum, & Deum uestrũ. De Lazaro quoq; cũ dixisset, Lazarus mortuus est, adiũxit, dicẽs, Gaudeo propter uos, ut credatis, quoniam non eram ibi, Immensitatem uero suę diuinitatis ostendens discipulis, dicit, ecce ego uobiscũ sum oĩbus diebus, usq; ad consũmationem sęculi. Quomodo ascendit in cœlum, nisi quia localis & uerus est homo? Aut quomodo adest fidelibus suis, nisi quia idem immẽsus et uerus est Deus? Idemq; lib. 3. Idem atq; inseparabilis Christus secundum solam carnẽ de sepulcro surrexit, idem atq; inseparabilis Christus, secundum totum hominem quem accepit, terram localiter deserens, ad cœlum ascẽdit, et in dextris Dei Sedet. secũdum eundem totum hominem uenturus ad iudicandũ uiuos & mortuos, coronaturus fideles & pios. Postremo Bernhardus in cantica canticorum sermone. 33. Habeo & ego verbum, Sed in carne, & mihi apponit ueritas, sed in sacramento, angelus ex adipe frumenti saginatur, & modo satiatur grano, me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentũ, carnis furfure, literæ palea, uelamine fidei, & hæc talia sunt, quæ gustata afferunt mortem, si non de primitijs spiritus quantulumcunq; acceperunt cõdimentum, prorsus mors mihi in olla, nisi de prophetæ farinu-

farinula dulcoretur. Et mox, at quantalibet sane abundantia pinguescant ista, non pari omnino iucũditate sumitur cortex sacramenti, et adeps frumenti, fides & spes, memoria & præsentia, æternitas et tempus, uultus & speculum, imago dei, & forma serui, nempe in omnibus his, fides mihi locuples, intellectus pauper, nunquid vero par sapor, intellectui, fideiq; ? cum sit in meritum ista, ille in prẽmium, uides distare tantum inter pabula, quantum & interloca, et sicut exaltantur cœli à terra, ita inhabitãtes in eis. Hic uides aperte Bernhardũ antithesim facere, inter memoriam & præsentiam : & quędam alia quę ad hoc negotium multum conducunt. Sed redeamus ad aduersarios.

Habent patres quos nobis opponant, Irenęum, dicentem constare Eucharistiam ex duabus rebus terrena & cœlesti, quod idem et Gelasius autumat. Cæterum ista nõ concludunt, nisi q; si acceperis totum sacramentum, vt unum constituas, ex signo et significato, tunc fatemur illud constare ex duabus rebus. Verum si postea uelles inter panem et corpus Christi tantã constituere coniunctionẽ, quanta est inter naturam diuinam et humanam in Christo, id minime concedendum esset, quia oporteret ex pane et corpore Christi fieri vnam hypostasin, id est vnum suppositum, ita vt nunq; à se mutuo diuellerentur, quæ sunt absurdissima. Ex reliquis patribus fermè obijciunt eadem, quæ supra citabant transubstantiatores.

Quomodo sacramẽtũ dicatur cõstare ex duabus rebus

Videamus in præsentia, quidnam hi qui tertiam amplectuntur opinionem, aduersus istos dicant. Inprimis non admittunt, illam diffusionem corporis tatam.

Obiectiones aduersus opinionem recitatam.

ris Christi, ita vt sit vbiq; , eo q; aduersetur proprietati humanæ naturæ. Et Augustinus ad Dardanũ secus apertissime scribit. Præterea contendunt mãducationem in Ioanne positam, capit. 6. et hanc extremam, omnino eandem esse, nisi q; hic adduntur symbola, atq; id probant hoc argumento, q; Ioannes cum mentionem fecisset suæ manducationis ad finem Euangelij, non meminit institutionis sacramenti, ut cæteri euangelistæ, nam satis ista tradiderat antea. Et summam doctrinæ, quam illi omiserant, Ioannes illo. 6. capite suppleuit. Neq; est aiũt proptrerea q; quispiam dicat, iccirco superfluam esse communionem, quia frequenter communicãdo memoriã domini, et gratiarũ actiones cœlebramus, et mens excitatur, earum rerum quæ agũtur specie, neq; ibi habentur signa muta, sed loquentia. Deinde quędam tessera illic est, qua Christiani inter se, et cum Christo se denotant coniunctos, profitentur præterea fidem suam de corpore Christi acto in crucẽ et sanguine fuso pro nostra salute, non enim satis est corde credere, sed ore quoq; fit confessio, neq; tantum ore, verũ externis actionibus. Neq; suscipiunt q; isti aiunt impios etiam sumere corpus CHRISTI, nam sensus, et ratio, ad ipsum non pertingunt, ergo relinquitur fide percipi, qua cum illi destituantur, nihil præter symbola possunt habere. Et Paulus scribit, Qui manducauerit hunc panem indignè, neq; dicit, qui manducat corpus Christi indignè. Mirantur præterea eos, qui contrariam opinionem sectantur, quod illi manducationi corporali Christi, attribuãt remissionem peccatorum, quandoquidem illud est opus operatum admit-

Explicatur tertia opinio.

Vtilitates cõmunionis

Impij non suscipiunt corpus Christi.

admittere, neq; habetur peccatorum remissio, nisi per fidem. Innituntur postea locutionibus Pauli, quando iubet dominus hoc fieri in sui memoriam, et annunciari mortem eius, quæ videntur ipsis corporis Christi absentiam indicare. Sed alias admonui argumentum hoc non esse, vsq; à deo firmum, nisi intelligant de corpore Christi realiter, et corporaliter, atq; naturaliter præsenti: alioquin cum fide percipiatur, non intelligitur prorsus abesse, quãuis in cœlis maneat, quoad suã naturam atq; substãtiã. spiritualiter enim manducatur, atq; nobis reuera iũgitur. Citant dehinc patres, qui aperte pronunciant typum, signum, et figurã hic esse corporis Christi. Atq; inducunt duo similia. Vnum est de amico cui amicus corporaliter absens, dicitur esse præsens, quando cogitat de eo, Item ponunt multa specula, quæ sint in circuitu eiusdem hominis, cuius aspectus et facies, multiplicatur, per omnia hæc specula, tametsi is suo loco non moueatur. Sunt fateor ista similia aliquanto frigidiora, quàm vt bene conueniant huic mysterio. Amicus enim compræhensus cogitatione, et versatus animo, nequaquam mutat cogitantem, non alit eius animum, neq; etiam carnem illius instaurat, vt resurrectionis fiat capax. Et illa quæ in speculis habetur, tenuissima est vmbra, neque debet conferri illi coniunctioni, quam nos habemus cum CHRISTO: Nam spiritualis Christi præsentia, quam ponimus, vim Spiritus sancti coniunctam habet, quæ nos ipsi arctissime copulat. Non tamen prorsus respuenda sunt, cõmemorata similia, cum possint nos quoquomodo in rei veritatem inducere, modo

Remissio peccatorũ habetur p fidem, non ex opere operato mãducãdi

Addi tamen debet quod manducando fides excitatur non quidem ui operis sed operante spiritu dei Duo similia.

modo intelligãtur rem non adæquare, indicãt enim quomodo, fide ac animo fiat ista perceptio. Meminerunt autem duarum coniunctionum cũ Christo. Vna est, quod fide amplectimur, corpus eius actũ in cruce, et sanguinem fusum pro nostra salute. Altera est, quod ipse Dei filius susceperit ueram naturã nostram, et sic inita est naturalis communio inter nos et Christũ, cuius mentio est, ad Hebręos cap 2. Sed est quædam tertia coniunctio, quam nos cum Christo inimus, eum manducando spiritualiter, cuius illi mentionem non adeo frequenter faciunt, licet non omnino taceant. Verum de illa paulo post agemus. Quod si interrogentur isti, an Christus adsit præsens cœnę dominicæ, respondent adesse, cęterum hoc dicunt per synecdochen, quoniam altera pars Chri, id est diuinitas verè prędens adest. Alioquin in exponenda sententia Domini, hoc est corpus meum, adhibent metonymiam, nimirum signi ad rem significatam. Atq; Christum ipsum eo modo uidentur concedere prędentem esse, vt sol, qui se continet in suo orbe, & nihilominus dicitur ădesse mundo, eumq; regere suo motu, et luce. Quàm uero fides possit rem prędentem facere, ex epistola ad Galatas ubi Paulus dixit, Christum ob oculos eorę descriptũ, et inter eos crucifixũ, putant se declarasse.

Per synecdochẽ christus adest cœnæ.

Præsentia fidei.

Nunc superest, ut inter has duas sententias ostendamus, quid nostro iuditio, aut cauendum sit, aut recipiendum. Nõ q in animo habeam singulares, prędantissimosq; viros taxare, aut Lutherũ, aut Zuinglium. Nam de Zuinglio certo scio, q in suis libris signa ponit in hoc sacramẽto minime uacua aut irrita, vt superius dixi. Atq; etiam mihi relatum est ab homini-

Iudicium de postremis duabus opiniõibus

hominibus, qui cum Luthero egerunt, illum reuera inter corpus CHRISTI et symbola non posuisse, nisi coniunctionem sacramentalem, quomodo vero cõtẽtio sit aucta, et inter eos inflãmata, nũc nõ est tempus recensendi. Sepositis ergo his uiris, nunquam satis laudatis, de opinionibus agemus, prout enarratę sunt, & ultro citroq; iactantur. Quãobrẽ in priore opinione, crassam illam connexionem corporis Christi cum pane, ut naturaliter, corporaliter & realiter, in eo comprehendatur, minime probo. Quia scriptura sancta ad hoc statuẽdũ minime nos adigit, et multiplicare, et augere tot miracula, absq; illius testimonio, nõ est theologicũ. Quibus addas, talem præsentiam necessariam non esse, & ad nostram salutem nullum habere momentum. Impios deinde suscipere corpus Domini haud recipio: Nam quicquid Dominus instituit, id fecit, vt nobis esset salutare, verum manducatio carnalis et corporalis non est impijs ad salutem, ergo Christus eã huiusmodi non instituit. Et quicquid impij ibi cõmedãt, corporaliter, non debẽt dici comedere corpus CHRISTI, nisi signo aut symbolo velis tribuere nomẽ rei. Præterea non dabimus, corpus Christi vbiq; esse, aut per omnia uel multa loca diffundi, eo q; istud aduersetur conditionibus naturæ humanæ. Neque item sentiendum est discrimen esse inter spiritualem manducationem, quæ habetur in Ioanne cap. 6. et illam quam dominus instituit in postrema cœna, nisi quod ei doctrinæ atq; promissioni quam prius tradiderat, adiecit symbola. Quod etiam loquuntur ambigue de adoratione, non debet facile admitti. Supra enim docuimus,

Cauenda in secunda opinione.

et quidem plane, atq; aperte, quid ea de re sentiendum sit. Atq; hæc de ista sententia, ex qua demenda puto, quæ modo cõmemorauí. In altera verò, mihí id minus placet q; raro mentionem faciunt sacramẽ talis mutationis panis et vini, quæ tamen non leuis est, et patres ubicunq; videntur fauere transubstãtiationi, eam respiciunt. Atq; scripturæ sanctæ illã non contempserunt, etenim Paulus in ipsa agitatione sacramenti, non simpliciter nominat poculum, sed poculum domini. Deinde videmus in testamento veteri, ea quæ oblata fuerant, appellata esse non tantum sancta, uerũ sancta sanctorum, hoc est Hebraica phrasi, sanctissima. Quare non est q; dicant mutationem hanc leuem esse, cũ magni sit momẽti. Quod si prætexant se id facere, vt nimium symbolis non hæreamus, Respõdetur facile posse remediũ adhiberí huic malo, per doctrinam, qua instituantur homines, Christum coniungi nobis dum communicamus, eximia copula, vt qui maneat in nobis et nos in eo. Qui deĩde proximo gradu iũgitur verbis, atq; id per significationem. Copulatur et tertio loco symbolis, atq; item per significationẽ, quæ tamẽ est minor quã illa sit, quæ pertinet ad verba. Imo per priorẽ quę scilicet uerborum est, symbola suam significationem sacramentalem sortiuntur. Si hæc rite doceantur, nihil erit periculi. Fateor scriptores huius opinionis quandòque tractasse istam conuersionem sacramentalem, sed raro. Deinde non adiecerunt semper ei efficaciam, quæ illi debetur. Non enim efficiuntur ista uulgaria signa, sed quæ potenter atq; efficaciter animum permoueant. Dicent, hoc erit nimiũ tribuere elementis huius

Quod in altera sententia minus probetur.

Mutatio sacramẽtalis res magna, et asserta à sacris litteris.

Tribus rebus p gradum contiũgitur corpus Christi.

De efficacia sacramenti.

mundi

mundi. Occurrimus ista non illis tribui per seipsa, uerum ob institutum DOMINI, spiritus sancti vim, atque verborum claritatem. Si quæsierint, unde habeam Spiritum Sanctum hic agere, facile est respondere, quoniam est iam constitutum, spiritualem esse hanc manducationem: At quomodo spiritualiter manducabimus absq; spiritu sancto? De instituto Domini non est dubitandum, et de efficacia verbi passim loquuntur scripturæ, Paulus inquit euangelium esse vim Dei ad salutem, nimirum quod Deus uim suam declaret hoc instrumento, et Eucharistia quid aliud est quam euangelium seu uerbum uisibile? Dicit item Paulus, fidem esse ex auditu, et auditū per uerbum Dei, non quod uerbum nos credere faciat, Spiritus enim est per quē credimus, sed utitur organo uerborū, atq; etiam sacramentorum, quæ sunt uerba Dei sensibilia. Quis etiam nesciat per uerbum Dei creaturas sanctificari, ut habetur in epistola ad Timotheum? quod etiam rectè accipiendum est, nam spiritus sanctus est qui reuera sanctificat, uerū instrumento & uerborum & sacramentorum, hoc facit. Non itaq; auferēda est hæc mutatio à pane et uino, qua reddantur signa corporis et sanguinis Christi efficacia, id est, quibus potenter et nō vulgariter spiritus domini in nos agat, modo fide & pietate simus præditi: Non enim ponimus hic efficaciam quæ salutem nostram alliget rebus huius mundi. Neque hic obstrepat aliquis, cum fide ista perceptio habeatur, quid lucrabuntur communicantes, quandoquidem si sunt fideles, iam habent sibi coniunctum CHRISTVM? Facile est occurrere,

Spiritus sancti actio intercedit in communicādo

coniunctus illis quidem est, sed indies redditur coniunctior, & dum communicamus, magis ac magis nobis unitur, Præterea hoc accedit, quod mandato Domini satisfacimus, qui ut manducaremus & biberemus hoc sacramentum præcepit. Dixeris alioquin idem de baptismo. Cum enim quis credit, statim iustificatus est, et remissionem peccatorum habet, non tamen frustra baptizatur. Quod si requisiueris, an ista efficacia Eucharistiæ se habeat æqualiter quoad omnes. Respondeo minime, sed ad rationem & portionem fidei communicantiũ. Vt Origenes dicebat, 15. cap. Matthæi, Sacramenti huius materiam nõ prodesse, sed quod est per uerbum & obsecrationem iuuare animos nostros, pro quantitate & portione fidei. Aliud præterea est quod istos uellem inculcare, nos per communionẽ Christo incorporari, quæ vox non est noua, sed in Paulo habetur ad Ephesios, qui dicit, Gentes factas cohæredes et concorporales, quod græcæ dicitur, σύσσωμα. Nametsi ponimus apprẽhensionem corporis Christi, fieri per fidem, attamen effectum sequitur ad hanc appræhensionem, uera cõiunctio cum Christo, non ficta aut imaginaria, quæ primo ad animam pertinet, deinde ad corpus redundat. Et ea commendatur nobis in sacris litteris à Paulo, sub metaphora capitis et corporis, cum nos appellat membra eiusdem corporis sub Christo capite, & sub ratione coniugij, in quo duo fiunt vna caro. Quod Cyrillus ut exprimeret, simile induxit ceræ liquefactę, quę alteri cerę permisceatur, & ita ex duabus eadem fiat. Sic uoluit nos Christo coniungi, Et ad hoc maxime faciũt verba ad Ephesios qui-

An efficacia Eucharistiæ se habeat æqualiter quoad omnes.

Incorporamur Christo cõmunicando.

quibus dicimur esse, ex carnibus eius, atq; ex ossibus eius, quę si respicias prima frōte uidebitur secus dicendum, scilicet filium dei esse ex carnibus nostris & ex ossibus nostris, quia ex nostro genere carnem assumpsit. Sed Paulus intelexit non simplicem carnem, verum à peccato mundam, resurrectionis capacem & immortalitatis, quàm fideles cum ex seipsis non habeant, neq; ex Adamo traxerint à Christo sibi vendicant, quando illi per sacramenta, & fidem incorporantur. Fit itaq; illapsus quidam Christi in nos, et contactus spiritualis, quem Paulus expendebat cum diceret ad Galatas, Viuo ego iã non ego, sed uiuit in me Christus. Neq; propter ista, opus est Christum è cœlo detrahere, vel corpus eius diffundere, ad infinita loca, quandoquidem spirituale est totum hoc quod tradimus. Verum tamen non fictum, nam spectra, idola, aut figmenta, nequaquam animum nutriunt, vt hic fieri certum est. Diximus enim & confirmamus, hæc symbola et significare, et offerre, ac exhibere uerissime corpus Christi, licet spiritualiter, id est animo comedēdum, non ore corporis. Quod si quęsiueris, quo pacto ueteres in suis sacramentis istud idem habere potuerint, facile est respondere, quandoquidem non corporaliter sed spiritualiter in hoc sacramento rem geri statuimus. Et in Apocalypsi legitur, Agnum immolatum ab origine mūdi. Illi futura expectabant, nos iam facta recolimus. Hoc tantum cauendum postremo ostendimus, ne quod adijcimus semper de modo spirituali, intelligatur veritati detrahere. Dicebat enim Augustinus super psalmo quinquagesimo quarto Corpus Domini,

An Christus sit ex carnibus nostris uel nos ex carnibus eius.

Illapsus Ch. istius nos.

Quomodo ueteres idem habuerint nobiscum in suis sacramentis.

certo loco esse in cœlo, sed veritatem corporis dñi vbiq; esse, nam vbicunq; sint fideles apprehendunt Christũ habuisse verũ corpus pro nobis traditum, et eo fide vescuntur. Itaq; iã dixi, quod mihi videtur debere constitui iuxta scripturas, in hac re sacramentaria. Quæ vtinam pius lector, et bene expendat, et boni consulat. Faxit autem Deus pro sua bonitate, ut ecclesia Christi tandem, quoad hoc sacramentum, & ueritatem & pacem obtineat. Quæ duo idcirco mihi sunt, in optatis, quod hactenus animaduerterim, Eucharistiam (de qua agimus) adeo fuisse, mendacijs, impostur is, atq; superstitionibus obrutam, sepultam, & deformatam, ut quid uis potius æstimari potuerit, quàm id quod in cœna Dominus instituit: Quam ne facile repurgatam haberemus, diabolus, omnis pacis et veritatis grauissimus hostis, tot seruit opiniones, contentiones, dissidia, hæreses, & pugnas, tantum non cruentas, ut vix consensus Christianis dignus humana ratione sperari possit. Verum hęc (proh dolor) non iniuria patimur, qui hoc sacramentum duplici contumelia affecimus, partim quia ex insigni & singulari CHRISTI dono idolum execrandum ereximus: partim vero, quia parum syncera fide, cõscientiaq; grauissimis peccatis inquinata, absque legitima nostrum ipsorum probatione, sacra hæc mysteria vsurpauimus. Misereat DEVM (precor) tantæ calamitatis, Digneturq; tandem ecclesiæ suæ instauratam Eucharistiam, bonumq; eius vsum restituere, per IESVM Christum Dominum nostrum. AMEN.

FINIS Tractationis de Eucharistia.

PET. MAR. VERMIL. FLOREN.

CHRISTIANO LECTORI S. D.



QVÆ CAVSÆ AD SCRIbendum de Eucharistia me impulerint, duę sūt. Improborum calumniæ, & amicorū uota: quorum alterum contemnere, inhumanum fuisset, alterum uero negligere impium, cum inde cultui diuino haud uulgare detrimentum impendere animaduerterem. Si enim tantum res mea hic ageretur, facile fuisset ista spernere. Nomen quippe meum non tanti facio, ut existimem propter conuitia maleuolorū, & uanos inimicorū rumores, oportere me cōmoueri. Scio prudētis hominis esse, pmulta, & præcipue huius generis dissimulare. & charitatem Christianam omnia ferre, nō quę sua sunt, sed quę Iesu Christi, quęrere. Verum hic iam non causa mea sed Christi agitur, non meo nomini detrahitur, sed uerbo Dei: Siquidē periculū authoritatis ministerij, adeo coniunctū est cum uerbo Dei, ut ad ipsum quoq; pertingat, ita enim comparatum uidemus, ut quantumuis pia & docta, pie docteq; tradantur ab aliquo, ei si defuerit authoritas, imo si uel neuo uel macula quapiam, aut aspersa aut denigrata fuerit, cum paruo fructu, & sæpe cum nullo, proueniant. Quæ uero sparserit nonnullorum impudentia, de disputatione à me habita Oxonij iam elapsa æstate, & quomodo apud cuiuslibet generis homines, Principes, nobiles, ple

beios, ciues, & rusticos me traduxerint, non dicam: quod nihil ab eis obscure factum sit, sed omnes anguli, plateæ, domus, officinæ & œnopolia adhuc e orum mẽtitos triumphos de me, et ἐπινίκια resonẽt: nec dubito istorum maledicta, cæteras quoq; nationes peruasisse. Quare una causarum quæ me ad hæc ædenda compulit, hæc fuit. Altera uero (ut ab initio dixi) amicorum postulata, quibus profecto huc usq; pro uirili obstiti, tum quod hac de re satis librorum extare intelligerem, quibus abunde pius quisq; posset instituí, tum quod nemo melius ac ego ipse, mea nouit, quæ hactenus tanti feci, ut noluerim te, candide lector, per ea remorari à meliorum librorum lectione. Nunc uero hi, & quidem nonnihil improborum criminationibus commoti, me adeo urserunt, ut aliquorum precibus uictus, aliorum uero authoritate compulsus, tandem cesserim. quid enim negare ausim Reuerendissimo Archiepiscopo Cantuariensi, cui plane omnia debeo? Quidue Regijs uisitatoribus, qui hisce disputationibus non solũ interfuerunt, sed prẽfuerunt? Damus itaq; tibi hanc Disputationem, cui ad maiorem euidentiam, Tractationem de eadem re, adiecimus, Quæ omnia simplici quidem (ne dixerim) absq; ullo stilo, conscripsi, attamen fideliter. Nam quod attinet ad disputationem, mea cõtuli cum exemplis aduersariorum: Quibus diligenter perlectis quę animaduertere potui me prẽterijsse, quod alicuius esset momenti, quantum ueritas patiebatur, ex eorum scriptis non detrectaui restituere: et ubi eos deprehendi quandoq; suas rationes fusius explicasse, & artificiosius scribendo tractasse, quam

tunc

tunc dum agebatur, prolatæ fuerint, ego quoq; salua sententiæ ueritate, rem paulo latius exposui, qđ tamen raro admodum contigit. Cęterum quod attinet ad summam, capita & substanti ā argumentorum, dissolutionumq; siue responsionum, mutaui nihil, nihilq; (quod sciam) inuerti, quod his qui me cum ęgerunt fraudi esse possit. Imo quantum memoria consequi potui, quantumue indicarunt notę illorum qui exceperunt, cum ultro citroq; inter nos disputando ageremus, illas easdem uoces frequentissime & fere semper quibus usi sumus, reponi curaui. Quisquis itaq; actioni nostræ interfuit, nullū plane uidebit omissum argumentum, nullum adiectum, & à summa sensuq; eorum quæ dicta sunt, me nusquam discessisse intelliget. Quod si quid à me aut omissum aut inuersum maleuoli (ut est eorum ingenium) conquesti fuerit, ea scribant, neq; contra me uerbis (quæ profudisse non refert) sed scriptis rationibus agant, quas cum & legere & consyderare liceat, non erit absq; fructu huius generis disceptatio: Volant enim (ut dixit Homerus) πτερόεντα uerba, at his quę literis consignata sunt, locus calumnijs minus patet. Hoc si fecerint, quem admodum tunc ausus sum uiua uoce cō gredi, ita nunc me comparabo, ad ea quę scripserint respondere, Tu uero interim uale, & boni consule.

ILLVSTRISS. REGIAE MAIESTATIS LEGATI, QVI DISPVTATIONI HVIC PRÆFVERVNT, CANDIDIS LECTORIBVS S.D.

CVM rogaretur Thales Milesius, Quantum à ueritate mẽdacium distaret: nobis non inscite respõdisse uidetur: ὅσον ὀθφαλμοὶ ὤτων, id est, Tantum, quantum ab auribus oculi distant: hoc nimirum elogio significans, oculos esse fidos rerum & spectatores, et testes plane classicos, aures uero sæpe mendacijs apertas dari, sæpe per has ficta ac falsa in animum irruere, & proinde testibus oculatis, qui quæ narrant, oculis acta conspexerint, credendum esse, illorum uero fidem, qui cæco testimonio, nihil aliud quam leuitatem suam prodere solent, iure optimo semper suspectam esse debere. Sed quorsum ista? horsum, ô bone. Non sumus nescij, quam falsos rumores de ea disputatione, quæ de Eucharistia paucis abhinc mensibus Oxonij habita est, uani quidam & ad imposturas facti, homines, in uulgus sparserint. Scimus multos

multos, dum et ficta sedulo narrantur, et falsa libenter audiuntur, permagnam hausisse uoluptatem, uidelicet, quod ita famæ & eruditioni Petri Martyris, (uiri uelinuidia sentẽtiã ferente, undecumq; doctissimi) aliquot maculas aspersas cernerent. Non deerant etiam, qui quasi parta uictoria, serio secum triumpharẽt, quod per tonstrinas, falsis disseminatis calumnijs, existimationem optimi uiri depeculatam uiderent. Quæ res ut non mediocri nobis dolori fuit, ita nunc est, cur duplici nomine illud factum esse uehementer gaudeamus, uel quod hinc omnibus palam fiet, quam libenter papistæ (cũ res mendacia postulat) suis illudere soleant. uel quod Petrus Martyr horum petitus conuitijs ac contumelijs, tandem ista sua peruulgare coactus sit, certe quidem, si facta ex rerum euentu metiri uolumus, est cur nos istis quoq; gratiam uel maximam habeamus. Si enim hanc dogmatis sui cladẽ taciti ferre potuissent, neq; huius disceptationis fructus ad exteras nationes unq; peruenisset, neq; istorũ infamia ultra Regni nostri fines ire cõpelleretur. Tam sumus omnes, in ueræ religionis promouendo

uendo negotio ſocordes. Frugi papatus ſeruis, nullæ conceduntur feriæ, mille norunt artes, quibus ueritati negotium faceſſant, ea tamen palmaria eſt, quam habet Eſaias, Mendacium ſpem ſuam poſuerunt, & uanitati uelut ſalutis ſuæ ſummæ arci, ſe et ſua cõcrediderũt. fuit quidem hæc maiorũ ſuorum, quos imitantur, uetus diſciplina, lex antiqua, ut dum uel cõmodis conſulerent ſuis, uel hoſtibus fraudi eſſe ſtuderent, nihil non dicere liceat, nihil non mentiri phas ſit: Vt multos iſtorum abauos ſilentio prætereamus, quid, qui Stephanum in iudicium duxerant, quamuis cauſa cum Stephano impares eſſent, nec reſiſtere illius ſapientiæ aut ſpiritui poſſẽt, quid aut ſe uictos fateri propter impudentiã, aut Stephanum ſuperiorem propter cauſſæ ueritatẽ, aut ignorantiæ culpã propter confidentiam, deprecari uoluerunt? Imò cum linguis ne hiſcere quidem ualerent, uidetis dentibus ſtridere eos, uidetis ab eis ſubornari homines, qui dicãt, Audiuimus Stephanũ blaſphemantem Moſen & deum. Quid Petrus Martyr, tum in diſputando, tum in reſpõdendo præſtiterit, quid illius Antagoniſtæ ad cauſæ

ſuæ

ſuæ defenſionẽ adferre potuerint, uobis palam fiet, ubi quæ hic ſcribuntur, legeritis: Vobis iudicium deferrimus, uos arbitros cõſtitutos uolumus, Petrone, an Treſhamo, Cheadzeo, & Morgano, honeſtiſſimæ cauſſæ victoria aſſignanda ſit. Nihil in tenebris actum eſt, omnia palam, ac in ſumma luce geſta ſunt, hiſce quoq; quid ageretur ſpectantibus, qui mori mallent, quam dogma ſuum è ſcholis ut falſum explodi uidere, uiderunt dogmatis defenſores in ſũmas anguſtias perductos, dogma ipſum in maximo periculo uerſari, obmutuerunt tamen, & amicos ſub cuſpide relictos, plane deſerebant (ſi hoc deſerere eſt) periclitanti, & opem reipſa implorãti, ſuppetias nõ ferre. Quid quæritis? tollantur mendacia, ueritati uia muniatur, fraus ad hominum aures aditus tam faciles non reperiat, impoſtoribus non detur ſuggeſtus, breui nullo negotio futurum eſt, ut & papiſtas minor turba ſequatur, & noſtrorum numerus tum domi, tum foris augeatur. Sed longius quam decreueramus, peruagata eſt noſtra oratio. hoc Colophõis loco eſto, nos diligenter plegiſſe, quæ hic à Petro Martyre uobis exhibentur,

hoc

nos nominis nostri integritate in uadimonium posita uobis confirmare, si summam rei & ipsam disputationis substantiam spectetis, Petrum Martyrem nihil mutare, imo penè eisdem in scribendo uti uerbis, quibus in disputando, uel ille, uel sui Antagonistæ usi sunt, nusquam quicquam additum uel quod causam illius iuuet, uel quod aduersarijs fraudi esse possit.

Valete.

Disputatio de Eu=
CHARISTIAE SA-
CRAMENTO,
habita in celeberrima Vni-
uersitate Oxonieñ.
in Anglia.

Anno Domini. 1549.

עשה האלהים את האדם ישר והמה
בקשו חשבונות רבים

Fecit DEVS hominem rectum, ipsi autem
inuestigarũt multas adinuentiones.
Ecclesiastes. 7.

Quæstiones propositæ ad disputandum.

I. In sacramento Eucharistiæ, non est panis & uini transubstantiatio in corpus & sanguinem CHRISTI.

II. Corpus & sanguis CHRISTI non est carnaliter aut corporaliter in pane & uino, nec ut alij dicunt, sub speciebus panis & uini.

III. Corpus & sanguis CHRISTI uniuntur pani & uino sacramentaliter.

DISPVTATIO DE SACRAMENTO EVCHARIstiæ habita publice Oxonij, in Schola theologica, amplißimis viris, R. D. Henrico Lincolnienſi Epiſcopo, D. Richardo Coxo, eiuſdem vniuerſitatis Cancellario &c. D. Simone Haynes decano Exonienſi, M. Richardo Moriſino, Armigero, & Chriſtophoro Neuynſono iuris ciuilis Doctore, legatis regijs præſentibus, per Doctorem Petrum Martyrem Vermilium Florentinum, ſacrarum literarum ibidem regium profeſſorem.

Diſputarunt primo die, qui fuit 28. Maij, AN. 1549. D. Petrus Martyr, & Doctor Gulielmus Treſhamus, coram uiſitatoribus Regijs. Ex quibus clariſsimus uir D. Coxus Oxonienſis uniuerſitatis Cancellarius, antequã diſputatio iniretur, in hanc ſententiam eſt præfatus.

DOctiſsimi uiri, quanquã ego ex officio meo diſputationibus ſcholaſticis, præcipuè autem Theologicis, præeſſe debeo, tamen quod meum eſt, id nunc faciendum potiſsimum duco: Nimirum quod per Regiam Maieſtatem

licet, & quia per literas (ut uocant patentes) commissa nobis authoritas est, non modo alijs in rebus, uerumetiam publicis lectionibus ac disputationibus ordinandis, decreuimus non solum interesse, sed etiam praesse, eásq; gubernare, & moderari. Vos autem, qui prouinciam hanc disputandi suscepistis, cogitetis, quam sit ardua res quæ agetur: cogitetis quam omnium oculi in uos conuertantur: cogitetis diligenter, & curetis gloriam Dei, sepositis cõtentionibus & rixis. Scio uos graues & doctos uiros esse: Attamen quod officium meum postulat, uos mo nẽdos existimaui. Alios autem spectatores & auditores commonefacio, ut positis factionibus, si quæ sunt, ita quiete & tranquille audiant, ut ne partes ullæ factæ esse uideãtur. Facite quod Paulus præcipit, ut in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, idem sapiatis, idem sentiatis omnes, ut non sint in uobis schismata, sed sitis integrũ corpus, eadem mẽte & eadem sentẽtia. Ponite affectus malos, strepitus, turbas, cachinnos, et uociferationes ponite: maxime uos iuuenes monitos uolo, qui magis animi feruore ualetis, quam iudicio. Solent enim in maximis con-

controuersijs existere dissidia & odia, & inuidiæ, ut factum est in Stephani disputationibus atq; Pauli. Id autem in uobis euenire nullo modo uelim, sed opto potius, ut discatis ueritatem cognoscere, & cognitam amplecti, ita & uos uestrum facietis officium, & nobis rem gratissimam, & Deus fortunabit cœpta nostra.

PETRI Martyris præfatio.



I EXISTIMASSEM amplissimi uiri, & Regię Maiestatis ornatissimi legati, offensiones animorũ, odia, uel inimicitias, perpetuo esse comites publicarum disputationum, nunquam sane fuissem huc adductus. Nunc autem quia video ea non semper consequi, sed illis coniungi, temere, siue (ut dicitur) per accidens, ad disputandum accessi. Me quidem ante omnia mouit ueritatis exquirendę et patefaciendæ studium. Qui uero contentionis cupiditate, vel ob gloriolam huius mundi, vel ob quæstum, hoc institutum suscipiunt, non theologi habendi sunt, sed leues, inanesq; sophistæ, animalia, cum uentri, tum ambitioni dedita. Nos autem eo debemus esse animo, vt veritati agnitæ, & sese in disputationibus patefacienti

ultro, libenterq; cædamus. Quod certè, non est minima aut leuis portio diuini cultus. Idcirco ex omni parte, animorum turbidi motus faceſſant, ſintq; procul omnes factiones: Quod ſi cõtigerit, magna huius exercitij, erit vtilitas. Nam ferrum per ſe frigidum, iacet: & lapis omnino ſtupidus eſt, ſed ſi collidantur ſimul, ignem eliciũt. Vt nubes alioquin tenebricoſæ, & craſſæ naturæ, ſi concurrant, et ſimul quatiantur, fulgetra micant per aërem. Ita Ingenia ac ſtudia eruditorum hominum, per ſe ipſa torpeſcunt, at in ipſo diſputationum conflictu, excitantur, ac vegeta reddũtur. Neq; propter abuſum quorundam, res pulcherrimæ & honeſtiſsimę, cuiuſmodi ſunt diſputationes, repudiari debent, nec ut inutiles et noxię haberi, cum eas dona dei eſſe non dubitemus. Præclarum illam doctrinam Ieſu domini, & ſeruatoris noſtri, de dilectione proximi, de reſurrectione, de cenſu reddendo Cęſari, de ſigno Ionæ prophetæ, alijſq; rebus huius generis diſputationibus quas habuit cũ Scribis, Phariſæis, Saducæis, & Herodianis debemus. Nec uobis obſcurum eſſe, arbitror, vt profuerint eccleſiæ, Pauli cęterorũq; apoſtolorum, atq; patrum diſputationes. Poterũt certe ſine acerbitate, odio, et inuidentia, à nobis perfici, modo ſpiritus Chriſti adſit. Magnum quippe diſcrimen habent diſſentire, & odio habere. Nam primum pertinet ad iudicium, quod in parte cognoſcente animi noſtri exercetur. Alterum vero, id eſt, odium, flamma eſt uoluntatis, Paulus diſſenſit à Petro, ac reprehendit, nec tamen eum odio habuit. Hæc de publicis diſputationibus generaliter dixiſſe uolui. Ad noſtras uero has, propius accedens, fateor me ali-

me aliquandiu fuisse cunctabundum, ad descendendum in hanc harenam, quod viderem ea de re agendum esse, propter quam ecclesia hodiæ vehementer cõcutitur. Et qui sacerdotalem ordinem sibi vendicant, arbitrantur, trãsubstantiatione sublata, et dempta carnali corporalicp̃ pręsentia corporis Christi ab Eucharistia, de omni sua dignitate funditus actũ esse, quasi non sit aliud eorum munus, quam panem transubstantiare, vel ipsum corpus Christi in pane claudere, & plebs adeo est dementata, ac desipit, ut si quis de sacramento hoc aliter doceat, quã hactenus receptum sit, putent Christum sibi eripi, & cum non tradamus de Eucharistia, ut in papatu creditur, manu facta, concurrunt quam plurimi, et cum Fabro Argentario clamant: Magna est Diana Ephesiorum. At cogitare debuissent, eos non minus accusandos esse, qui sacramentis nimium tribuunt, et ex eis idolum faciunt, quam illi, qui eadem negligunt. Quod utruncp̃ uitium pro uirili nostra semper euitauimus. Nunc vero quando tranquilla omnia vestra authoritate video, factus sum alacer, & lubens hanc disputandi prouinciam suscipio, necp̃ priuatas causas, cur disputare noluerim, cum repente prouocarer, nunc repetere uolo, ne stomacho uidear indulgere. Ideo ad questiones uenio, in quibus me nonnulli calumniantur, quod non seruauerim dialecticam methodum, & quod prius queri oportuerit, An Christi corpus in sacramento esset. Postea, de modo inuestigandum. Ego uero contra statuo, methodum quam optimam hic seruatam esse, et quidem dialecticam, necp̃ sum ignarus doctrinæ Aristotelicæ in posterioribus analyticis, qua docet,

prius

prius quęrendum esse, an aliquid sit, postea, quia, quid, & propter quid, uidendum. Cęterum quando corpus Christi neuter nostrũ esse dubitat, et interrogor, an sit in Eucharistia, illis commode respondeo per tres meas quæstiones. Primo non esse ibi per transubstantiationem. Secundo, non coniungi pani ac uino, seu speciebus eorum, corporaliter, & carnaliter (uel ut illi uolunt) realiter, & substantialiter, sed tantum ibi esse per coniunctionem sacramentalem, quę est significatio efficacissima. Habes itaq; methodum expeditissimam, quæ tamen vt ad huc sit manifestior, sic explicabitur: Corporis CHRISTI et sanguinis est aliqua coniunctio cum symbolis. Hoc vtriq; nostrum bene cõstat, cuiusmodi autem sit, est controuersum. Quare id tribus meis quęstionibus aperio, atq; incipio à modo crassiori, qui est per trãsubstantiationem, eumq; re moueo, progredior deinde ad aliũ modum, de corporali, carnaliq; prędentia, siue reali, uel substantiali (vt illi loquuntur) quę perinde habeo, & ei non assentior, vt qui tertium modum constituo, nimirũ per sacramentalem significationem. De vocibus autem corporaliter, & carnaliter, quia uidentur ambiguę, dico me illas accipere, atq; si dictum fuisset, realiter et substantialiter, neq; hoc discrimine facessam eis negotium disputando. Cur autem aduerbia magis deriuauerim à nominibus, carnis & corporis, quam à re & substantia, ea est causa, ut me sacris literis accommodarem, quę cum sacramenti mentionem faciunt, rei atq; substantię nomina nõ habent, sed tantum corporis, carnis, & sanguinis, ideo scripsi corporaliter & carnaliter. Contendunt & hoc mei aduer-

De hac re fusius tractatur in epistola nũcupatoria

aduersarij postremam quęstionem esse superfluam, nam aiunt, Si remoueris trāsubstātiationem, & realem substantialemq; præsentiam, necessario consequitur, in sacramento non relinqui nisi significationem: quibus occurrimus, esse Anabaptistas, qui uolunt sacramentum hoc nil esse aliud quā tesseram, & professionem nostræ societatis, quam inter nos ex charitate habeamus: efficaciam spiritus sācti nihil morantur, quam nos in hoc sacramento statuimus. Præterea Martionitæ, Valentiniani, Manichęi, & id genus hæretici, cum negauerint Christū habuisse uerū corpus, significationē quam nos hic ponimus, ferre non poterant, quamobrem aduersus has pestes, tertia quæstio non est inutilis. Postremo accedit adhæc oīa, qđ has quęstiones uolui cōsentire cū ijs, quę in scholis docui, ubi hanc eādē methodū seruaui. Modo superest, ut rē aggrediamur, attamen dei auxilium prius de more inuocandū est.

PRECES.

CVM sanctiſpiritus afflatu, Deus optime maxime, pro tua misericordia, sis pollicitus nos regere, atq; in omnem ueritatem inducere, primum quidem, gratias tibi immēsas agimus de tam opimo ac uberi promisso, quod bona fide abs te implendum esse non dubitamus. deinde, quia in tuo sancto nomine conuenimus, & maximi momenti sunt, quę discutienda proponuntur, ideo ut promissum fauorem modo exhibeas, toto pectore oramus & obsecramus, quodq; tractandum suscepimus, tu sic digneris moderari, & regere, quo inde gloria tuo nomini, Scholę ueritas, & ecclesię sanctę proueniat

ædificatio, prauos affectus quęsumus hinc submoueas, scripturarum sanctarum luce, corda cum nostra, tum audientium illustres, quęq; ibi uisa fuerint obscura, plana efficias, & nos circa illas errare non patiaris, quæq; à complurib⁹ forsitan hactenus minus recte sunt intellecta, nunc purius atq; candidius percipi concedas, per Iesum Christum Dominū nostrum.

Doctoris Gulielmi Treshami Oratio.

VERITATIS negotium discutiēdum aggredior, uiri pręclarissimi. Opus attento arduum, munusq; graue humeris impingo meis, quippe, qui cum homine tā docto, tam acuto, tam omni ex parte in litteris, cum humanis, tum diuinis exercitato, idq; de re seriosissima, in hac etiam celeberrima doctissimorum uirorum frequentia, congredi & colluctari constituerim. Quoniam igitur duram suscipio prouinciam, quam alij certè plurimi huius Academiæ alumni, multo melius, exactius, et fęlicius, q; ego certator imbellis, absoluere atq; transigere, si volent, possunt, uestri candoris erit, præstantissimi regiæ Maiestatis legati, qui has disceptationes, uestra præsentia veneranda coornare atq; illustrare dignati estis, uniuersa quę hodie à me inter disceptā dum proferentur, æqui bonique consulere, eaq; omnia pie interpretari, quę non nisi pietatis causa sedulo enarrabuntur. Equidem nō ulla instigatus malitia, non ullo liuore, aut odio impulsus, uiro huic doctissimo aduersari uolui, sed quia ipse ad hoc me quodam modo prouocauit, & mea conscientia commouit, uestra denique mihi annuit authoritas, in

hanc

hanc litterariam paleſtram cõcertaturus deſcendo. Concertaturus inquam, uel cum amico, eodemq; familiari, uerumtamen amico præfero ueritatem, cuius aſſeuerandæ gratia, pro uiriliꝝ renitar aduerſus doctorem hunc, iſtius modi in rebus longe exercitatiſsimum, ſed ſuper omnia nimirum in illo confiſus, qui ſui nominis profeſſoribus, pollicetur dicẽs, Ponite in cordibus ueſtris non præmeditari, quem admodum reſpondeatis. Ego enim dabo uobis os & ſapientiã, cui nõ poterũt reſiſtere & cõtradicere omnes aduerſarij ueſtri. Ad concluſiones itaq; tuas (Doctiſsime Petre) excutiẽdas me accingo, quarũ prima hæc eſt. In ſacramento Euchariſtiæ non eſt panis & uini tranſubſtantiatio, in corpus & ſanguinem Chriſti. Altera, Corpus et ſanguis Chriſti nõ eſt ſubſtantialiter aut naturaliter in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis & uini. Quibus concluſionibus, ut nullam prorſus adhibeo fidem, ita & eaſdem, vt ſine fine dicam, falſas eſſe, & à Chriſtiana religione longe alienas, pro perſuaſiſsimo habeo. Id quod, ita ſe re ipſa habere, quemadmodum dixi, ſcripturis ſacris, et plurimis patrum teſtimonijs, apertiſsime declarare, & cõmonſtrare ſuo tempore non recuſabo: Sic et hoc ipſo die, veritatẽ ab eccleſia hactenus receptam, concluſionibus tuis plane contrariam, & ex diametro (vt aiunt) repugnantem, tuendam, & corroborandam, mihi aſſumpſi. Nõ quod Smythei doctoris qui abeſt, uices ſupplere uelim, cuius profecto inſtituti conſcius non eram, ſed ad ſolius Chriſti gloriam, fideiq; ueritatem, aſtruendam, hoc concertandi munus in manus ſuſcepi. Neq; profecto, ut huic meæ ſententię fauerem, adductum me quiſpiã

putet, ex leui quadam credulitate, sed ex magnis et urgentissimis causis: Harum prima est, Sanctorum euangelistarum, et diui Pauli apostoli, concors, & vniformis pro nostra assertione conspiratio. Vnde vniuersi orbis consensus, et perpetuus rei vsus ad nos vsq; permanauit. Secunda est, Sanctę matris ecclesię haud cõtemnẽda authoritas, quę cõtra Berẽg. wicleff. et huius farinæ homines, de certa veritate huius sacramenti, uel ęditis decretis sanciuit. Tertia, Patrum orthodoxorum sunt testimonia clarissima, quæ nisi aliter, q̃ ipsi patres senserunt, exponantur, pro nostra astructiõe explicatissime faciũt. Quarta et postrema, qđ illustrissimi et serenissimi Regis nostri Eduardi sexti edictum, Regiumq; totius senatus consultum, non nihil patrocinatur. Quæ quidẽ causę ad credendum mihi sufficere uidentur. Quam obrem (doctissime Petre) quæ tu pro parte tua habes, aduersum me proferenda, atq; proijcienda argumentorum tela, ea omnia proferre, proijcereq;, ubi libet, licet. Dixi, et patet ad conclusiones responsio.

D. P. MARTYR.

LAudes, quas mihi tribuis, nõ agnosco. Beneuolentiã tuã erga me colo, quodq; dicis te à me p̃uocatũ, lõge secus habet, nã ego pot⁹ ab alijs sũ pertractus ad disputandũ, qđ oĩbus est notissimũ, Causas vero qbus te motũ dicis, ut aduersum me ageres, nõ multũ moror, nã quãti sint momenti, tũ agnoscã, cũ obijciẽdi munus obĩbis, de postrema tantum hoc dico, quo ad Regium sane edictũ, cũ Anglice nesciã, de eo me prorsus nihil nosse, sed spero, in progressu disputationis, si quid cõtra me fecerit, intellectũ iri. Quare his omissis, ad argumẽta me confero.

D. P.

D. P. MARTYR. Pro quæstione prima, scripturę mihi fauent, quæ in hoc sacramento, quam apertissime panem & uinum agnoscũt. In Euangelistis habetur, quod Dominus Iesus accepit panem, benedixit, fregit, & dedit discipulis. Et Paulus idem habet ad Cor. 10. 11. Vbi si quis diligenter expendat, sæpius meminit panis. Quare, & nos debemus una cũ scripturis, retinere symbolorũ naturas. TRESHAMVS. In scripturis etiam inuenitur, hominem uocari terram, uel cinerem. Heuam os, & uirgam serpentem, aquam uinum, cum tamen hæc non essent, uerum per tropum sic appellata sint. Deinde argumentum reflexiuum, repercussiuum, & reciprocum est, retorqueturq; in te. Nam & sæpe in scripturis uocatur corpus Domini. Idcirco oportebit hac eadem ratione, corpus Christi uere in hoc sacramento esse, quod tu negas in secunda quęstione, igitur argumentum tuum in caput tutum conuertitur. MAR. Quo ad priorem partem responsionis, loquutionem scripturę, quãdo panem nominat, statuis esse tropicã, eo quod res nomina retineãt naturarũ, à quibus cõuersę sũt. Vbi uehemẽter miror, uos tã facile cõfugere ad tropos, à qbus tãtopere abhorretis, cũ de hoc sacramẽto agit. Sed hoc mitto, & respõdeo i locis adductis scripturã nos diserte cõmonefacere de cõuersionibus illarũ rerũ, apte enĩ ostendit corpus hominis è terra cõfictũ, Heuã ex Adami costa productam, virgam in serpentẽ cõuersam, aquã uinũ factã. Quare hos tropos admittere cogimur. Vos itaq; è scripturis nobis pbetis, panẽ cõuersũ, q̃ ad substãtiã in corpꝰ Chri, & sic dabimus tropũ uestrũ, panẽ inq; apellari, nõ q nũc sit, sed q ãtea fuerit.

Scriptura panem in Eucharistia fatetur et agnoscit, ergo esse ibi retinẽdus

Quando res nomia natur, quæ ãplius nõ extet, scriptura nos admonet de illius cõuersione.

Ad hæc, illa quæ inducitis, ita priſtinã abiecere ſubſtantiam, ut eius accidentia non retinuerint, quod uos confingitis in hoc ſacramento euenire, ubi à pane ſubſtantiam aufertis, et accidẽtia retinetis. Quod ꝙ adieciſti, in altera parte reſpõſionis, Contra me ſequi, corpus Chriſti adeſſe realiter, quandoquidem ſancta ſcriptura & ipſum nominat, ſicuti panẽ, quãtum faciat contra me reſpondebo, cum vices ad me peruenerint reſpondendi, ſi tu mihi iſta obieceris.

Quæ ſcriptura posuit mutata eſſe, nõ retinent priſtina accidẽtia.

TRES. Decretum erat, ut conciſis uteremur argumentis, et tu multa interponis, attamen, quod attinet ad conuerſionem, quam tu negas haberi in ſacris literis, eam probo ex Matheo, ubi Chriſtus ait, Hoc eſt corpus meum. Non eſt ſermo dei enuntiatiuus, aut ſignificatiuus tantum, ſed efficax, factiuus et operatiuus: dicit enim Auguſtinus in pſalmo. 73. Sacramenta ueteris legis promittũt ſeruatorẽ, Noua dant ſalutem, ideo aſſero panem conuerſum eſſe in corpus Domini. MART. Argumentis breuibus, & vtor, et poſt hac vtar, quantum res patietur. De tua uero probatione tranſubſtantiationis, quam modo adfers, nihil reſpondeo, quandoquidem meum eſt in preſentia obijcere. Cũ itaq; non admittas probationem, quam adduxi è ſacris litteris, quod panis maneat, et eas per tropum eludis, oſtendam tibi patres non ita ſenſiſſe, uerum cum ſancta ſcriptura uerum panem in ſacramento relinquere, ac eam interpretari et intelligere, vt ego adduxi. Cyprianus antiquiſsimus author, in ſermone de cœna Domini ait, Sicut in perſona Chriſti, humanitas videbatur, & latebat diuinitas, ita in ſacramento uiſibili, ineffabiliter diuina ſe infundit eſſentia, vt eſſet relligioni circa ſa-

Cyprianus.

ca sacramenta deuotio. Vides hic collationem fieri inter personam Christi, & hoc sacramentum, quorum vtrunq; ut duas complectitur naturas, ita debet eas integras conseruare, quod uos transubstantiando non facitis. TRES. Equidem Cyprianum opponam Cypriano, eumq; per seipsum interpretor, qui dicit, in eodem sermone: Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus est caro. Audis mutationem naturæ panis, unde non est credendu m tantum martyrem secum pugnare, et in his quæ sequntur oblitum esse sui. MAR. Hoc non est proposito loco respondere, sed argumentum eludere. Ego cum respondentis uices obiero, locum elucidabo, quem mihi regeris. Quare tuum est, nunc ad oppositа respõdere, quomodo scilicet ista collatio Christi cum hoc sacramento, quã ponit Cyprianus, apud uos locũ habeat. TRES. Cyprianus est optimus interpres sui. MAR. Quando nõ aliud adfers, Gelasium producam, à quo idem asseritur, quo ad istam comparationem. Is cõtra Eutychem dicit: Certe sacramenta quæ sumimus corporis et sanguinis Christi, diuina res est, propter quod, & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia panis & vini. et certe imago & similitudo corporis & sanguinis Christi in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis euidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Christo domino sentiẽdum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, et sumimus, ut sicut in hanc scilicet diuinam transeunt sancto spiritu perficiente substantiam, permanent tamen in suæ proprietate naturæ,

Collatio inter sacramentũ hoc & pſonã Christi.

Gelasius de eadem collatione

turę, ſic illud ipſum myſterium principale, cuius nobis efficientiam ueritatemq; veraciter repræſentãt, ex his quibus conſtat proprie permanentibus vnũ Chriſtum, quia integrum, uerumq; permanere demonſtrant. TRES. Liber ille nõ eſt receptus inter probata opera Gelaſij, Præterea Gelaſius erat põtifex Romanus, et miror te velle illum unum ſequi, cum uiginti pontifices expreſsiſsime contra te faciant. MART. Reſponſio biceps, et librum non eſſe probatum, deinde, quod à pontifice Romano æditus. Quo ad primum, nulla oſtenditur cauſa, quare liber ſuſpectus habeatur, præſertim cum aduerſus Eutychen hominem hæreticum ſcribat.

Libri patrum non facile reſpudiandi.

Et ſi velimus ita agere, ut dicendo librum aliquem ſuſpectum eſſe, eludamus argumentum, tum poſſim omnes libros reijcere, quos aduerſum me facere viderim. Secundo loco. Pontificatus Romanus non ita fuit eo tempore uitiatus et corruptus, neque peruenerat ad tyrannidem, vt poſtea collapſus eſt, quo poſsit officere authoritati Gelaſij. Et ad hæc, non illi defero, qua pontifex Rom. fuit, ſed quia cũ uerbo dei facit, quo nomine ipſe vnus mihi pluris eſt faciendus, quam uiginti aut centum alij, ſi dei ſermonibus aduerſetur. Sed age. Inducatur Auguſtinus, qui loquitur in eandem ſententiam de eadem collatione. pro ut citatur de conſec. diſtinct. 2. ex ſententijs Proſperi. Cuius hæc ſunt uerba. Sicut Chriſti perſona conſtat ex deo et homine, cum ipſe Chriſtus verus ſit deus, et verus ſit homo, quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium eccleſiæ duobus, ſacramento, et re ſacramenti

cramenti. Hic vides eandem collationem inter Eucharistiam et Christum: vnde sequitur, vt sicut in Christo manent duæ naturæ integræ, ita substantia panis ab Eucharistia non est auferenda. TRES. Augustin. in isto loco quem citasti, pro me maxime facit, sic enim interpretor, eũ velle in sacramento esse veram Christi carnem, sub speciebus panis opertã, quam vocat rem sacramenti: vult etiam accidentia, sub quibus corpus Christi operitur, signum esse carnis ita opertæ: insuper ait carnem CHRISTI sic opertam, signum esse corporis Christi in cruce pendentis: & sic idem esse signum sui ipsius. MAR. Nunc non contendimus de signo & signato, an idem sint, uerum de collatione inter Christum & Eucharistiam, & de duabus in utroq; naturis, quas uos non retinetis integras in sacramento, dum pro substantia substituitis accidẽtia. Affirmat enim, qđ omnis res earum rerum naturam & ueritatem in se continet, ex quibus conficitur. Nemo autem dubitauerit ex pane confici sacramẽtum. Quodq; adijcis, corpus Christi (Augustini sentẽtia) contineri sub accidentibus panis & uini, ita ut illorum symbolorum substantia extrudatur, ex eius verbis non habes. TRES. Dico Augustinum docere his uerbis, sacramentum cõfici ex corpore Christi & accidentibus, quæ accidentia sunt externum sacramentum. MART. Tu ais constare sacramentum ex accidentibus & corpore Christi: Ego uero urgeo collationem inter ipsum Christum, & Eucharistiam, nam illi correspondere debet sacramentum: igitur ut in Christo neutra natura deperibat, ita in Eucharistia utranq; manere oportet. Alioquin hæretici semper

dicent, naturā diuinam in Christo uere concedi, sed humani corporis non habuisse nisi speciem, & accidentia. TRES. Si Eucharistia uere Christo respōdeat, ueluti contendis, sequitur, quod sicuti uerus panis ibi esse astruitur, & uerum quoq; corpus Christi debeat constitui, quod maxime facit contra tuam secundam quæstionem, vnde argumentum non ualet, quia similitudo non currit quatuor pedibus. MAR. Respondes quidem, contra me ista facere, eo q; non statuam uere corpus Christi in sacramento contineri, sed tamen nihil adhuc respondes ad collationem istorum patrum, nisi ut uideo, eam negando, ideo argumentum manet insolutum. Patres enim illā induxerunt maxime ad hoc, ut ostenderent utrinq;, tam in Christo, quam in sacramento, duas manere naturas integras & perfectas. Quomodo autē à me ponatur uerū corpus Christi in sacramento, postea explicabitur, cū ad secūdā quęstionē uentū fuerit. Nūc ex adductis testimonijs efficaciter cōclusimus, nō esse abijciendū panē, pro qua sententia & Theodoretum habemus, qui cōtra Eutychē scripsit pręclaros dialogos, in quorum primo sic ait: Ea quæ uidentur symbola, corporis & sāguinis sui appellatione honorauit, non equidem naturam ipsam transmutans, sed adijciēs gratiam naturę. Et in secūdo dialogo, inducit hæreticum sic opponentē. Quēadmodū ergo corporis & sāguinis Dominici symbola, alia sane sūt ante sacerdotis inuocationē, transmutātur autem post ipsam inuocationē, et alia fiūt: sic et corpus dominicū, post assūptionem, in diuinā est substantiam transmutatū: Respōdet Orthodoxus: Captus es his quę tē debas rebus, neq; enī post sancti-

Ad collationem inductam ex patribus nūquam solide respōsum Theodoretus eandem asserit collationem, et aperte negat transubstantiationem.

ſanctificationem myſtica ſymbola illa, propria ſua natura egrediuntur, manent ſiquidem in priore ſua ſubſtantia & figura, & ſpecie: atq; ita concludit, contra Eutychen, corpus Chriſti non fuiſſe mutatum in naturam diuinam, ut ille aſſerebat, & ita uides pulchre inter ſe conſentire iſtos Doctores, Cyprianum, Auguſtinum, Gelaſium, Theodoretum, in ſacramento non eſſe abiectam ſubſtantiam panis, propter conuenientiam quam habet cum Chriſto, in quo tã humanitas, quã diuinitas integrę manent. TRES. Redige argumentum in formã, & tunc aptabo reſponſionem. MART. Hæc eſt ratio Theodoreti: Quemadmodũ panis manet integer in ſacramento, & non egreditur ſuam naturam, ita in Chriſto manſit eius corpus, & non fuit permutatum in naturã diuinam, ut hęreticus aſſerebat. TRES. Adhuc faciunt iſta pro me, & concludunt ibi eſſe uere corpus Chriſti, quod in ſecunda quæſtione tu negas. Deinde iſte Theodoretus, quẽ citas, fuit Neſtorianus, quod ſatis conſtat ex hiſtoria Nicephori, et cõcilio Chalcedonenſi, actione octaua: Et teſtimonium hæretici uiri in tanta re non meretur authoritatem. MAR. Theodoretum non fuiſſe Neſtorianũ, nullus melius atq; ipſe probare poteſt, qui cum ſcriberet aduerſus omnes hęreticos, qui p̃ceſſerant, Neſtoriũ non tacuit, imo peculiare caput contra illum ſcripſit, eumq; appellauit, organũ diaboli aptiſsimũ. Quod uero aſſeris de Nicephoro et Synodo Calcedonẽſi, hac de cauſa cõtigit: In Synodo Epheſina ĩciderũt grauiſſimę offẽſiões int̃ Cyrillũ, q̃ cõcilio p̃ſidebat, et loãnẽ Antiochęnũ patriarchã, eo q̃ Cyrillus cũ ſuis, pceſsiſſet ad damnationẽ

ac depositionem Nestorij, se non expectato, cum alijs episcopis, et ita vtrinq; humanũ passi, exercuerũt inimicitias inter se parum dignas christianis. Et eò res est progressa, vt sese mutuo excõmunicarint, ac deposuerint. Sed postea reditum est in gratiam. Et hoc dissidio durante scripsit Theodoretus, qui Ioanni fauebat contra anathematismos Cyrilli, ubi eum grauiter premit. Etsi quis diligenter legat, uix poterit ex illo scripto deprehẽdere Theodoretum, uel hęreticũ, vel fauẽtem prauo dogmati Nestorij: Aduersarij tamẽ eius, & qui erant partium Cyrilli, sic eum infamarunt. Sed uti diximus, tandem omnes inter se reconciliati sunt. Et in ista actione octaua Chalcedonensis synodi, apparet manifeste Theodoretũ fuisse calumniam passum, & ibi liquet, quã bonum testimonium habuerit à patribus concilij, à quibus restitutus est suę sedi, & publice Nestorium anathematizauit, cum quo ostendit se nunquam fecisse, quoad dogmata. De quo eodem Theodoreto nonnihil legitur apud Bessarionem Cardinalẽ Nicenum, in concilio Florentino. Cum itaq; eius confessionem non repudiauerit, sed agnouerit Synodus Chalcedonensis, quare uos eius purgationem non admittitis? Et cum ista scribat contra Eutychen, post synodum Chalcedonensem, in qua est approbatus ut Orthodoxus, non debent facile (ut uos facitis) negari: plusq; concilio credendum est, Leoni sanctissimo episcopo Romano, & multis episcopis, quã uni monacho Nicephoro. TRE. Nõ est æqua uel admittenda purgatio, qua seipsum aliquis purgat. Laudet te alienus, inquit Salomon, & nõ os tuum. Certum est, Cyrillum contra eum scripsisse

multa

multa, deinde satis obscurus est author, et eum præ ter te nemo habet. Vnde non est adferendus ad hoc tam graue negotium definiendum. MAR. Imo, cũ de fide alicuius agitur, quisq; est sui ipsius testis admodum idoneus, ut si quis accusaretur Arianæ perfidię, non posset se melius purgare, quam si Arium detestaretur, et contra eum scriberet: quod si existimas reiiciendum esse Theodoretũ eo nomine, quod aduersus Cyrillum contenderit, & Cyrillus contra eum scripserit, eadem ratione abiicies Cyprianum, quia semel in negotio baptismi, non solum à Stephano Rom. episcopo dissensit, uerum etiam à reliquis doctoribus, qui sane sentiebant. Debebis etiam refutare scripta Epiphanij, Chrysostomi, atq; Theophyli, qui usq; adeo inter se certarint, et exarserint, vt Ioannes Chrysost. deturbatus sit, & eiectus è suo episcopatu. Quod vero obiicis incognitum esse scriptorem, et quem præter me nemo habeat: librum scias Romę impressum, et venalem prostare. TRES. Respondeo, longum & tędiosum esset Romam ire pro vno tali libro. MAR. Igitur si eum non uis habere, sepositio eo, produco tibi Origenem qui à me stat, in. 15. cap. Math. scribens, ait, Quod si quicquid ingreditur in os, in uentrem abit, & in secessum abiicitur, & ille cibus qui sanctificatur per verbum Dei & obsecrationem, iuxta id quod habet materiale, in ventrem abit, & in secessum eiicitur, cæterum iuxta precationem, quæ illi accessit, pro portione fidei, fit utilis, efficiens, ut perspicax fiat animus, spectans ad id quod vtile est. Nec materia panis, sed super illum dictus sermo, est qui prodest non indigne domino comedenti illum,

Optima ratio qua se quispiã de hæresi purgare potest.

Nõ est dãnãdus Theodoretus eo quod cum Cyrillo contenderit.

Origenes habet materiale Eucharistiæ in secessum eiici.

et hęc quidem de typico ſymbolicoq; corpore, tantum ille. TRES. Origenis fides in hac re ſuſpecta eſt, habetur locus in fragmentis, quæ ab Eraſmo nuper adiecta ſunt, & meminiſti vulgo iactari de Origene: Vbi bene, nemo melius, ubi male, nemo peius. Et ego vni Origeni ſuſpecto, oppono Chryſoſt. authorem integerrimum: Num panem inquit uides? num vinum? nũ ſicut cæteri cibi in ſeceſſum uadit? Abſit vt tale quippiam cogites MAR. Doleo ſane tantum virum, Origenem inquam, lapſum fuiſſe in graues errores. Verum eius hęreſes colliguntur à Hieronymo, Epiphanio, & alijs illuſtribus patribus, qui diligentiſsime illum excuſſerunt, & eius errata palam traduxerunt, ne limpliciores inficerentur, & ab eis nunquam ſuper hac re taxatus eſt. TRESHAM. Argumentum ab authoritate negatiuum infirmum eſt, nec valet. Non ſcripſerunt illum erraſſe de Euchariſtia, igitur non errauit? Deinde iſte locus eſt ex fragmentis ab Eraſmo nuper interpretatis, quem forte nominati à te authores, nunq; uiderunt. MART. Eſt attamen ueriſimile, & omnibus æquis æſtimatoribus maxime probabile, quod cum non tacuerint alios eius errores, qui iuxta ueſtram ſententiam non ſunt iſto grauiores, hunc non fuiſſent diſsimulaturi, quem vos tam grauem facitis. Quodq; cauillaris ab Eraſmo adiecta iſta fragmenta, friuolum eſt, quia ille non ſibi finxit. Cumq; omnes libri ſic inuenti ſint, ſcilicet à ſtudioſis in vetuſtis bibliothecis, omnes pari argumento cum citantur, explodi poſſent. Sed audiamus Irenęum lib. 4. contra hæreſes: Huius conditionis quæ eſt ſecundum nos, accipiens panem, ſuũ cor-

Nõ eſt accuſatus Origenes quod erra uerit in eu chariſtia.

corpus confitebatur. Et ſupra, ſimiliter calicem, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundū nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt. Sed accidentia pendula, ſine ſubiecto, non ſunt creaturæ ſecundum nos, imo ingentia miracula. Igitur Irenęus ea nō cogitabat quā do materiam huius ſacramenti creaturam appellat ſecundū nos, id eſt, vſitatam. TRES. Oportet con iungere caput cum cauda, vt ſcilicet Irenęus dicat: Chriſtus accepit panem, et illum fecit corpus ſuum. Iſq; cōfitetur corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia, et ex pane fieri: dicit enim, Panē quieſt à terra, nō eſſe amplius panem cōmunem, ſed fieri Euchariſtiam. MAR. Quod appellauerit panem, qui eſt à terra, corpus ſuum, aut Euchariſtiam dixerit fieri, nihil facit ad hoc, vt ſubſtantia panis extrudatur. TRES. Eſſet profecto abſurdiſsma propoſitio, ſi diceretur hic panis, eſt corpus Chriſti. MAR. Vt mentem Irenæi penitius intelligamus, ipſe eſt audiendus eodem li. 4. vbiait: Quemadmodū enim, qui eſt à terra panis, percipiens uocationem dei, iam non cōmunis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti, ſic et corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia ſpem reſurrectionis habentia. Hinc collige, ſic mutari panem in Euchariſtiā, ſiue corpus Chriſti, pro ut corpora noſtra mutantur, et fiūt incorruptibilia. Sed in hac mutatione non abiicitur ſubſtantia noſtrorum corporum. Ergo & ſubſtantia panis non abit, neq; opus eſt veſtra tranſubſtantiatione. TRES. Argumentum non eſt efficax, quoniam à ſimili. Et hunc ipſum textum afferunt doctiſsimi viri contra te. Nam panis (inquit Irenæus) percipiens voca-

Ireneus.

Collatio mutationis noſtræ cum mutatione panis

uocationem Dei, iam non est amplius cõmunis panis, sed Eucharistia, ita & corpora nostra redduntur incorruptibilia. Hęc mutatio corporũ non est naturalis, sed spiritualis, quia Cyprianus ait. Nostra uero et ipsius coniunctio, nec miscet personas, nec vnit substantias, sed affectus consociat, & confęderat uoluntates: utq; ait (demonstrando hanc mutationem spiritualem) Paulus: transformamur spiritualiter in Christum, proficiendo à claritate in claritatem, de die in diem. Maximum discrimen est, inter mutationem corporis nostri & Eucharistiæ. Non enim incorruptibiles sumus naturaliter, sed spirituali incorruptibilitate et transformatione, quæ fit gratia, fide, charitate, pietate, &c. MAR. Non erat, quod laborares declarando, quomodo corpora nostra sint incorruptibilia, quandoquidem ego similitudinem urgeo, & colligo ex sententia Irenęi, esse vtrobiq; similem mutationem: & infero substantiam panis non perire, sicuti nostra corpora in sua mutatione, substantiam nõ abiiciunt pristinam. TRES. Respondeo mutationem nostrorum corporum in Christum, accipiendam esse, ob sãctas uirtutes Christi in nobis residentes, per quas certi facti sumus, quod corpora nostra futura sunt incorruptibilia: et addo, argumentum hoc esse à simili, et ideo parum firmum. MAR. Corpus nostrũ non potest dici mutari in virtutes Christi, nam illæ non pertinent ad corpus. Deinde ratio mea est ab authoritate Irenęi. Ille similitudinẽ inducit. Vnde argumentum non est solutum. Pręterea debes expendere, quod hic dicitur Eucharistiã cõstare ex duabus rebus, terrena et cœlesti: Vnde sequitur, panẽ manere, qui res terrena

rena appellatur. TRESHAM. Constat ex duabus rebus hoc sacramentum, igitur duæ res in eo manent: Nego argumentum, conficitur quidem ex re terrena, non quòd sic maneat, sed q; sic fuerit ante quam benediceretur, sed post consecrationem non amplius manent duæ res, sed una. Exempli gratia. Nos constamus nutrimento, & tamen cibus per digestionem naturalem conuertitur in rem alitam, & non manet. MAR. Est ualde absurdum quod tibi sumis, sacramentum constare ex duabus naturis, antequam benedicatur, quia tunc non est sacramentum, neque est corpus Christi, ante benedictionem. Loquitur itaq; Irenæus de Eucharistia quæ iam est Eucharistia: neq; admitto aliquid constare ex his rebus quæ non extent. Et ad tuum simile de alimento nostri corporis, cibum aio, concoqui in stomacho, & partem eius per secessum et alia excrementa eijci, non nego, sed tamen substantia eius nisi in corpore maneret, atq; retineretur, non alereмur; sed hæc omnia parum ad rem pertinent, quia semper obijcio Irenæum, ponere talem mutationẽ panis in Eucharistiã, qualis est mutatio corporum nostrorum, in incorruptibilem statum, ad quam obiectionem non adhuc respondisti. TRES. Ad primum caput respondeo, Corpus mixtum ex elemẽtis constare, & tamen elementa in mixto non extare. Ad alterum caput aio, similitudinarium argumentum non ualere. MART. Item, respondes absurda, cum defendis aliquid constare ex his quæ nõ extant, quodq; de corpore producis, quod tu mixtũ appellas, scito in eo sic extare elẽmenta, ut ex eis cõstat. Nã si constet ex eis in actu, ut aiunt, ibi in

Simile.

Sacramentũ non cõstat duabus rebus ante benedictionem quia tunc non est sacramentũ

Nisi aliqua pars cibi maneret in nobis, non aleremur.

Quomodo elementa sint in cõpositis corporibus.

actu extant, si constat ex eis in potentia, uel in uirtute, ita in eis extant. Quodq; repetis argumentū similitudinarium non ualere, testatus sum antea, me nullam similitudinem hic uel adferre, vel confingere, tantum quod scribit Irenæus inculco. TRES. Iterum respondeo, Argumentum à simili non ualere. MAR. An hoc est respondere argumento? ego ipse non attuli rationem à simili, sed Irenæi similitudinem persequor: tum posses iure similitudinem refutare, si ego illam protulissem. TRESHAM. Dico similitudines etiam, quas inuenimus alibi scriptas & ipsi non confinximus, parum ualere in argumentis, quod ex scripturis sanctis declaro: dominus dicebat. Pater, fac ut omnes unum sint, sicut tu pater in me & ego in te: Iam non ualet, si quis argumentaretur, Pater et filius unū sunt substātia, ergo Christus et nos unum substantia sumus. MAR. Responsionem tuam nullam esse attestatur Hilarius, qui de trinitate libro octauo docet rectissime quadrare, & firmum esse argumentum, quod tu deducis à similitudine desumpta ex scripturis. Tu argumentum existimas nō ualere, & ille dicit omnino cōcludere, & fatetur ui eius argumenti, nos esse eiusdem substantiæ, & naturaliter coniunctos cum Christo per eius humanitatem, cui nostra est consubstantialis, ut loquitur Cyrillus. Vides itaq; similitudinem, quam deprompsisti è sacris litteris, ueram argumentationem conficere. TRES. Miror te recurrere ad Hilarium, ille enim contra te facit, & huius rei authorem habeo Bucerum, qui ait nos coniungi cū Christo in sacra cōmunione, nō solum uoluntate, uerum etiā naturali participatione, prout Hilarius scribit.

Hilarius. Similitudines desūptæ ex sacris literis faciunt firmum argumentum, modo argumentemur à scopo similitudinis. In libro de recta fide ad Reginas.

Mar.

MARTYR. Primum non citaui Hilarium propter quæstionem de Eucharistia, sed ut commonstrarem ualere argumentum deductum à similitudine deprompta ex sacris litteris, quod tu negabas ualidum esse. Et nunc testaris Hilarium ex sententia Buceri dicere, nos non solum voluntate, uerum etiam naturali participatione Christo coniungi, quod tu arbitrabaris non uere concludi: illam uero participationem Christi nobiscum etiam naturalem, quam ponit Hilarius, non nego: Hic uero agitur non de coniunctione CHRISTI nobiscum, sed cum pane: Annotabisq; eũdem Hilarium, paulo ante, constituere eãdem coniunctionem nobiscum in baptismo, uidelicet naturalem, & nõ per uoluntatem. Quare inde sequeretur transubstantiatio in baptismo, quam si ibi non datis, causa non est, cur hic à uobis urgeatur. Verum si mihi locum obieceris, quando aduersum me argumentaberis, uidebis plane contra me nil facere. Nam hic disputamus (ut dixi) aduersus trãsubstantiationem & realem coniunctionem CHRISTI cum pane, nõ autem de uera coniunctione CHRISTI nobiscum, quam ego non nego. De Bucero autem quid sentiat, quidue mecum faciat, alias dicam. Ad summam: Cum Christo habemus coniunctionem & quidem naturalem, quia ipse naturam nostram suscepit uere de uirgine, deinde per fidem, caro nostra & natura, magis conformatur ad immortalitatem naturæ CHRISTI, & augetur indies, dum sacramentis utimur, ista autem coniunctio atq; communicatio naturalis est, quam nos fatemur habere cum Christo. Sed hęc latius dicentur cum ad locum

Deducitur ad contradictionem.

Status quæstionis est non de coniunctione Christi nobiscũ uerum cũ pane.

Declaratur coniunctio quam habemus cũ Christo.

Hilarij peuenerimus. Relicto itaq; hoc argumento ex Irenęo, cui non est satisfactum, Gregorium tibi obijciam Pontificem Rom. qui ait in regiſtro: Sed tamen tam azymum quam fermẽtatum, dum ſumimus, unum corpus domini noſtri ſeruatoris efficimur. Azymum uero & fermẽtatum, panem aperte indicant manere, ſunt enim proprietates panis, quę locum non habent, ſi eum ſubtrahas. TRESHAM. Gregorius omnia conuertit in allegorias, et refert ad mores, monetq;, ut nos azymi ſimus, atq; ſynceri, ut Paulus dicebat, In azymis ſynceritatis & ueritatis. Et ita argumentum eſt inutile, cum deducatur ab alieno ſenſu, vt Auguſtinus teſtatur ad Vincentium Donatiſtam. Argumentum aliunde ductũ quã à ſenſu literali, parum habet virium ad perſuadendum quippiam, efficaci deductione. Aut aliter poteſt reſponderi, eum videlicet loqui de materia panis, quæ ante conſecrationem, uel azyma uel fermentata fuit. MAR. Declaratur aperte Gregorium hoc loco nil egiſſe allegoricè, nam tunc uocabatur in dubium, eratq; controuerſum, an deberet panis Euchariſticus haberi, uel fermentatus, uel azymus. Conſultus Gregorius in Regiſtro, ſuper hac re ſuam ſententiam reſcribit. TRES. Melius iam intelligo, quã antea, ſatis enim memini huius controuerſię, & Græci errant uſq; in hunc diem, retinẽtes fermentatum panem. Nihil tamen locus aduerſum me cõtinet: Nihil enim referre voluit Gregorius, utrum panis azymus uel fermentatus ſit, ex quo ſacramentum fiat: & azymus panis uel fermentatus dicitur ex eo quod antea fuit. MAR. In tua reſpoſione miror, quod dicas, in hunc uſq; diem Græcos

Gregorius in Regiſtro.

Cõtrouerſia orta de pane azymo uel fermentato.

cos errare, cum Gregorius ostendat, nihil referre, siue fermentatus panis siue azymus accipiatur. Et quod ais eum intelligere, quod dicit, ante consecrationem, uerbis eius non consentit. Dicit enim, dum sumimus: Nec sacramentum sumitur ante consecrationem. TRE. Postquam transubstantiatus est panis, denominationem accipit ex ea re, de qua deducitur. MAR. Semper, cum inducuntur similia quę panem agnoscunt in sacramento, uultis eludere illa per tropum desumptum à natura pristina, Ideo sic tecum modo disputare statui. Transubstãtiatio nõ manifestatur, neq; probatur ex sacris litteris, igitur non est suscipienda. TRES. Ex ui scripturę quę dicit, Hoc est corpus meum, coacta fuit ecclesia ponere transubstantiationem, non enim potest fieri, vt ea propositio proprie uera sit, nisi ponatur hæc mutatio. MAR. Quid ita? noua certe nunc audio, si stant accidentia cum corpore Christi, cur non substantia? quid magis peccauit substantia, quam accidens, ut manere nequeat cum corpore Christi? Et potissimum cum uideatur esse bona pars contentionis, propter quantitatem, et dimensiones, quas tamen uos retinetis, non enim aboletur quantitas & moles panis. TRES. Ideo non manet substantia, quia non sic placuit Christo sacramenti huius institutori: potuisset Christus efficere, vt panis maneret, sed iam propter ipsius uerbum, stante potentia eius ordinaria, non potest. MAR. Cum mihi non satisfactũ esset, petebã cur nõ possit manere panis? non dicis, nisi de verbo dei, et voluntate Christi: ego autem non adhuc intelligo, quid obstẽt uerba Christi, nec uideo unde habeas hoc testimonium uoluntatis

Contradicit sibi.

Sacræ litteræ non agnoscũt transubstantiationem.

Si manent accidentia cur non substãtia?

Contentio fere tota est ꝓpter quantitatẽ panis ne duo corpora sint simul, et tamen eam retinent.

Dei, qua nolit panem extare. TRES. Quoniam impossibile est verbū dei falsum esse: Itemq; impossibile est ex proprietate uocum, veritatē alſtruere verborum domini quibus dixit, Hoc est corpus meū, sine transubstantiatione. MAR. Possem nunc dicere de tropo illius propositionis, quo ostēderem ueram esse, vt multæ aliæ consimiles veræ sunt, manentibus rebus ut antea erant. Sed hoc mitto, et pergo in interrogatione iam facta: quare magis hic pereat substantia, quàm accidens? nec audio rationē, cur unū istorū potius, quā alterū, subtrahatis. TRE. Iā dixi, quod stātibus terminis, nō potest verū esse, Hoc est corpus meū, nisi fiat trāsubstantiatio, quia panis non est corpus Christi, nec accidens corpus Christi. Pręterea sermo dei nō esset effectiuus et operatiuus nisi interueniēte trāsubstantiatione, et accidens manere liquido cōstat. Ideo seruata proprietate sermonis, et nō ponēdo tropū in verbis, impossibile est propositionem verā esse, nisi statuatur transubstantiatio. MAR. In tua responsione, animaduerto corpus Christi non posse vere dici, vel de pane, uel de accidentibus, cum tamen Epiphanius habeat in Anchorato: Verus est enim qui cū gratia, id quod est secūdum imaginem homini largitus est. Et quot sunt, quæ similia sunt? Videmus enim quod accepit seruator in manus suas, veluti Euangelium habet, quod surrexit in cœna, et accepit hæc, & vbi gratias egisset, dixit, Hoc meum est, & hoc & hoc, & videmus quod non æquale est, nec simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc est enim rotundæ formæ, & insensibile, quantum ad poten-

An uera possit esse propositio hoc est corpus meū, absq; transubstantiatione.

Epiphanius.

potentiam, & voluit per gratiam dicere, hoc meum est, & hoc & hoc, & nemo non fidem habet sermoni, qui enim non credit ipsum uerum esse, sicut dixit, is excidit à gratia & salute. Quod autem audiuimus, id credimus, quod est ipsius: Dominum uero nostrum nouimus, totum sensum, totum sensitiuum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem, totum incomprehensibilem, sed qui cum gratia hoc nobis quod largitur, est. Ex quibus uerbis audis de eo quod est rotundæ figuræ, & insensibile secundum potentiam, Dominum per gratiam dixisse, Hoc est corpus meum, nec uales effugere, quin id quod est rotundum, uel substantia uel accidens sit illud, de quo Epiphanius inquit, Corpus Domini dictum esse, nam corpus CHRISTI uult de eo dici, quod est insensibile secundum potentiam, id autem minime conuenit corpori CHRISTI, ut sensu careat, quemadmodum ex citata sententia diserte habes. TRES. Oportet legere ueteres patres cum uenia; quemadmodum Erasmus inquit. Et hoc scribant notarij, me nec accidens dicere corpus CHRISTI, nec panem. Præterea responderi aliter potest, quod ille sit loquutus de hoc, ante finem prolationis uerborum. MART. Cum illud rotundum, de quo iste ait dictum esse corpus CHRISTI, non uelis esse panem, neque accidens: quid ergo per pronomẽ demonstratiuũ, hoc, ostendebat? TRESH. Illud nescio, sed hoc ostendebatur, quod ipse CHRISTVS innuebat. Rogandus est is, qui instituit: Quod si panis demõstretur, ante consecrationem intelligatur. Patres ut dixi legen-

Corpus Domini dicitur de eo quod est insensibile quantũ ad potentiam

legendi sunt cum uenia. MAR. Quod ais legendos esse patres cum uenia, libenter audio, & scio oportere eos quādoq; dextere interpretari. Cum autem uera dicunt, non est opus uenia, neq; Epiphanium arbitror hoc loco ea opus habere, satis enim tuetur uerbum Dei, et bene de eo loquitur. TRES. Hilarius habet, quod intelligentia dictorum est ex causis assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. 4. lib. de trinitate, ut recolo. Et ideo ut iuxta rei cōditionem et veritatem respōdeā, dico Epiphanium dixisse, de eo quod est rotundę figurę, uoluit dominus dicere, Hoc est corpus meū, non quod uerus panis rotundę figuræ subsit, sed quia sic uidetur et apparet nostro sensui. Et ideo dixi ipsum cum uenia esse legendum, quod uerba eius præseferant panem manere, qui tamen non manet. MAR. Quod affers ex Hilario parum te iuuat, non enim potest aliter itelligi Epiphanius, quā ego proposuerim, dicitur enim aperte, Dominus per gratiā dixisse de eo quod est rotundæ figuræ, quod esset corpus suum, siue ergo illud rotūdum facias panē, siue accidens, omnino contra te loquitur, nā corpus suum de eo prædicat. Verum ut intelligas panem re uera adesse, ex verbis Euangelistæ, hoc apertissime demonstro. Christus accepit panem, benedixit, fregit, et dedit apostòlis suis dicēs &c. Illa quatuor verba, accipere, benedicere, frāgere, & dare, nō regunt nisi vnum accusatiuum, scilicet panem, igitur sicuti uerus est panis dum accipitur & benedicitur, non minus uerus erit dum frangitur et datur. Vnde sequitur, Christum dedisse panem, nec solum accidentia, alioquin dixisset Euangelista, Christū fregisse corpus

Ex euangelistarū verbis ducitur argumentum.

corpus & dediſſe corpus, ſed omnia, ut audiſti, refert ad panem: Nec Euangeliſtam puto opus habere uenia. TRES. Dico cum diuo Petro, quod ſcriptura nõ eſt priuatę ĩterpretationis Eccleſiaſtici patres ſatis clare explicãt pro mea aſſertione, Chriſtum dediſſe corpus, & pręponendo uerbũ dedit, uſum fuiſſe tropo. MAR. Nondum mihi ſatisfacis: Nã quod Petrus ait, Scripturam non eſſe priuatę interpretationis, id eſt non debere pro noſtris priuatis affectibus exponi, admitto: Sed nihil promoues. Et quod aſſeris de patribus, eos teſtatus ſum & oſtendi, à me ſtare: Vnde repeto, Accepit Chriſtus panem, Benedixit panem, fregit panem, & dedit panem: ſic patres ueteres, ſic ſcripturæ loquuntur: Tu recurris ad tropos, & videris dicere ſpiritu vtendum eſſe. Ego uero, ubi quęram ſpiritum non uideo, niſi in ſacris litteris, quæ vtrunq; aſſerunt, dari panem inquã, & corpus, quod ego quoq; fateor, ſed tu reſpuendo panẽ, illis minime cõſentis. TRES. Scripturę eo ſpiritu exponendæ ſunt, quo ſunt cõditę: Et ſpiritus ſanctus docuit ſanctos patres, quod ſtatim cum proferuntur uerba conſecrationis, deſinit eſſe ſubſtantia panis & uini, id quod uolunt omnes doctores catholici. Et ego non ſolum patres habeo, ſed Chriſtũ ipſum, qui promiſit 6. Ioan. daturum ſe nobis carnem ſuam, fidelis eſt, & eius ueritas non pendet à patribus, uerum ab ipſo. Panis inquit quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita. Quare ego fateor, quod eſt panis, panis, panis, panis uſq; ad pronunciationem finalem uerborũ. Poſtea non eſt panis, ſed caro. MAR. Verba ſcripturę utrunq; dicunt, et panem dari, et carnem. Cur nõ etiã

Quomodo intelligatur ſcriptura non eſſe priuatæ ĩterpretationis.

Vtrumq; datur, & panis & corpus, ſed panis ori, corpus animo & fidei.

e.i. fateris

fateris dari panem, ut Euangelistę aperte scripserũt Nam quod patres asseris à te stare, iam multis eorum testimonijs ostendi non esse uerum: & scripturas eodem spiritu exponendas quo sunt conditæ, admitto. Sed quando secus exponuntur â uobis quam habeant, ea expositio non proficiscitur à spiritu quo sunt conditę, nam is ab eis nõ dissonat. TRES. Dico utrumq; sed non sicut tu intelligo scripturas. Et enim propter intelligentiã scripturarum, omnis semper exorta est controuersia, nã Arius per scripturas nitebatur Christi diuinitatem tollere: Nestorius uero & Eutyches, p scripturas eius humanitatẽ auferre conabãtur. Manes, per scripturas liberum arbitrium exterminabat. Pelagius per scripturas liberum arbitrium supra modũ extollebat. Lutherus per scripturas ueritatem corporis Christi in Eucharistia asseruit: At cõtra Zuinglius per scripturas realẽ prę sẽtiã corporis Chri ab Eucharistia uisus est sibi tollere: denicq; hęretici oẽs, et diabolus semper dixerũt Scriptũ est, & errarunt. Vnde patet refugiẽdũ esse ad spiritũ illũ, quo scripturę produntur. Quemadmodũ ait Petrus apostolus: Scripturã nõ esse priuatæ interpretationis, ille autem spiritus promissus est ecclesię. MAR. Habẽt fortasse scripturas hæretici, sed nõ bene habẽt, speciẽ sequũtur, at nõ solidũ sensũ. Quã uero ecclesiã sequẽdã tu mihi narres, nõ intelligo, hoc certo scio scripturas, Euãgelistas, Paulũ, et sãctos patres, quos adduxi testari panẽ hic esse, et sãcta scriptura id loquit aptissimẽ: Atq; extra hęc quæ cõmemoraui, nulla est ecclesia, neq; ullus spiritus bonus cõtra ista facit TRES. Hęc uerba Christi: Hoc facite in meã cõmemora-

De Nestorio errat.

A scripturis cognoscitur ecclesia & spiritus.

memorationem, ſunt uerba prę cipiẽtia, & iubet nos facere quod Chriſtus fecit. Is dedit corpus ſuũ, qui corpus ſuum eſſe dixit, et quod Chriſtus ſpõſus eccleſiæ fecit, hoc eccleſię eius iuſſu per ſcripturas facit. MAR. De his uerbis Domini, quæ tu commemoras, Chryſoſtomus in epiſtolam ad Corinthios priorem ſcripſit. 11. cap. Hom. 27. Chriſtus enim, in pane, & in calice, in meam commemorationem facite hoc, dixit. Ecce hic audis etiam poſt conſecrationem, panem dici: Et Cyrillus in Iohannem lib. 4. cap. 14. Dedit illis fragmenta panis. TRESHAM. Patres appellant panem ex termino à quo, id eſt propter denominationem priorem. MART. Tu tergiuerſaris, & hæres in termino à quo: tropum prohibes, & ſemper tropo te defendis. TRES. Ego habeo multos locos Chryſoſtomi pro me, atq; oppono Chryſoſtomũ Chyſoſtomo, & doctores cum obſcure loquuntur, ſunt interprerandi per loca clariora. Chryſoſtomus autem in ſermone de proditione Iudæ, fatetur mutari panem. MAR. Nunc uices meę nõ ſunt reſpondendi: Ad id quod obiicis ex Chryſoſtomo reſpondebo quando mihi oppones: Sed tamen interim ne uidear nimis durus, cum Chryſoſtomo ſentio Panem mutari, ſed in ſacramentum ſubſtantiam uero panis abiici nego, neq; tu hoc unquam docebis ex Chryſoſtomo: Quin & Cyrillus habet: Etiam in pane corpus eius precioſum ſumimus, & in uino ſanguinem. TRES. Sumimus in pane & uino, hoc eſt in ſpeciebus panis & uini. MARTY. Quid tu appellas ſpecies panis & uini? TRESHAM. Accidentarias formas panis & uini.

Chryſoſtomus.

Cyrillus.

Nuſquã apud patres ẽ mõtio huius tropi cũ panis ibi dicatur propter naturã priſtinã. Quod tamen meminerunt paſſim alterius tropi quo ego utor ſcilicet corpus Chriſti in ſigno et figura hic tradi.

Cyrillus.

Quid sit apud patres species.

MAR. Certe à patribus non habes hanc significationem, nam illi per speciem, intellexerunt naturas ipsas rerum, non accidentia. Ambrosius in lib. eorũ qui initiantur mysteriis cap. ultimo: Quod si tantũ ualuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non ualebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De sacramentali mutatione agit, unde si species intelligeret accidentia, sequeretur accidentia mutari in Eucharistia, quod sensus reclamat. Et in eodem cap. Idem: Ante benedictionem uerborum cœlestium, alia species nominatur, post consecrationem, corpus Christi significatur. Et Aug. in Ioan. tract. 26. Aliud illi, aliud nos, sed specie uisibili, quod tamen idem significaret. Atq; ibi agit de discrimine sacramentorum veteris & nouæ legis. Et idem ferè habetur ab Augustin. de cathechizandis rudibus lib. 1. ca. 26. TRES. Patres quandoq; speciem appellant substantiam, quandoq; accidens, est enim vox ambigua, & quod scripturæ uocant panem, et patres panẽ itẽ appellant, nos species panis dicimus.

Hic uisum est dominis uisitatoribus
Vt ageretur in secunda quæstione.

MARTYR. Negamus corpus & sanguinem Christi esse in pane & uino carnaliter, & corporaliter, vel substantialiter, & realiter, ut ipsi dicitis, aut sub speciebus panis & uini. Atq; hoc ex scripturis docebo. Marci ultimo: Dominus Iesus postq; loquutus est eis, assumptus est in cœlum & sedet à dextris Dei. Math. 26. Pauperes semper habebitis uobiscum, me autem non semper habebitis. Ioan. 16. Relinquo mundum, & uado ad patrem. Multi dicent in tempore illo, Ecce Christus hic, aut illic,

Scripturæ testantur Christum à nobis corporaliter abisse

nolite

nolite credere. Act. 3. Quem oportet cœlos ſuſcipere, uſq; ad tempus reſtitutionis omnium: Et ad Coloſſ. 3. Quę ſurſum ſunt quęrite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Cum itaq; ex his pateat Chriſtum hinc aſſumptum eſſe, degere in cœlis, nec conueniat naturæ ueri humani corporis, ſimul eſſe in multis locis: ſequitur corpus Chriſti non eſſe realiter, in pane aut uino. TRES. Nego humano corpori non poſſe conuenire, ut ſit in diuerſis locis ſimul, quia contrarium docent ſanctæ ſcripturę, nimirum, Chriſtum poſt aſcenſionem, etiam iuxta humanitatem, fuiſſe cum apoſtolis. In epiſt. priore ad Cor. cap. 9. Paulus inquit: Nonne dominum uidi? et. 15. eiuſdem epi. Nouiſsime autem, tanquã abortiuo uiſus eſt & mihi. Et in Act. 9. Saule, Saule, quid me perſequeris? Et iterum: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Et poſt pauca. Ananias dixit: Saule frater, Dñs miſit me, Ieſus qui apparuit tibi in uia. Et Barnabas poſtea dixit apoſtolis de Saulo, quomodo is in uia uidiſſet dominũ, & quia locutus eſt ei, pro quo tẽpore oportet nos credere, q Chriſtus ad patris dexterã in cœlo fuerit, quia fidei articulus eſt: Et tamen tunc forma uiſibili erat in terris, quare nihil concluditur, & bene poteſt corpus Chriſti eſſe in ſacramento ſub forma inuiſibili, cum in terris quandoq; fuerit (ut probauimus) in forma uiſibili. Quare tuę rationes nõ concludũt. MAR. Reſpõſio non ſatisfacit, quid enim tu noſti Chriſtum non apparuiſſe paulo, in cœlis manentem? quemadmodum Stephano uiſus eſt ſedẽs à dextris dei: Imo Auguſt. ſuper pſal. 54. ait. Caput quod erat in cœlo, clamaſſe pro corpore quod erat in terra, atq; dixiſſe,

Chriſtus quãdo apparuit Paulo erat in cœlo.

Saule Saule, quid me perſequeris? Præterea, Paulus nonne raptus eſt in tertium cœlum, quando potuit ipſum Chriſtum uidere? quod ad Corint. teſtatur. Nam ibi tantum dicit ſe Chriſtum vidiſſe, de loco autem uel tempore, nihil dicit: In uia quidē Paulo exiſtenti apparuit, et illi dum eſſet in via, eſt loquutus: Sed hoc (vt dixi) facere potuit manens in cœlo, et inde vocē formare, quę audiretur in terris. Deinde fac in terris dñm ſe Paulo exhibuiſſe uidendū, pro illo eodē tempore nō oſtēdes eum fuiſſe in cœlo. Articulo fidei credimus, qđ ſit aſſūptus in cœlū, et ſedeat ad dextrā patris: ſed qđ inde ſe nō poſsit quādoq; trāſferri et apparere quibus uoluerit, hoc nō tenemur credere: ſatis eſt fateri, quod in cœlis habeat propriā manſionem. TRES. Quod Auguſt. dicat ſuper pſalmo, Chriſtum fuiſſe in cœlis, quando clamabat, Saule, Saule, qđ me perſequeris? meæ ſententiæ fauet. Nam ſignificat eum ſimul, et in cœlo, et in terra fuiſſe. Aut reſpondebo: Cœlum ab eo accipi pro aëre, ubi forte erat Chriſtus, cum clamaret, Saule, Saule, quid me perſequeris? & aërem appellari cœlum, ſcriptura teſtatur, cum dicit: Volucres cœli. MAR. Quod ais Chriſtum utrobiq; fuiſſe, in cœlo et in terra Auguſtini ſententia, ex illo non habes, imò potius alibi declarat ſe aliter ſentire. Et Chriſtum ponere pendentem in aëre abſurdum eſt, & uideris eum uolucrē facere. TRES. Non facio Chriſtum uolucrem, alioquin volucer fuiſſet, cum penderet in cruce. MAR. Imò tūc ligno affixus erat, ſed mittamus ludicra: Si uolumus uidere quid Auguſt. ſentiat hac de re, ſpectemus epi. ad Dardanū, ubi ſcribit de corpore Chriſti glorificato

Aug. ad Dardanū.

quod

quod est in aliquo certo loco, propter ueri corporis modū. Quęstio ei proponebatur: Quomodo, latro cum Christo fuerit in paradiso, ea die qua mortuus est, vt promiserat futurū: Et respōdet, qđ si pro paradiso accipiamus cœlum, hoc non est factū, quo ad humanitatē, quia corpus in sepulchro fuit, & anima apud inferos. Vnde statuit hoc accipiēdum, quo ad diuinitatem. Inde colligo in hanc formam: Si animę Christi non ausus est Augustinus dare, vt simul in inferno, & in cœlo esset, multo minus id eius corpori concedetur. TRES. Dico cum Augustino: Distribuite tempora, et concordat scriptura. Tres erāt errores, quos impugnat eo loco Augustinus, vnus est eorum, qui verbum, i. deitatem loco animę Christi ponebant, alter ponebat uerbum pro mente animæ Christi, tertius erat illorū, qui corpus Christi ponebāt esse ubiq; diffusum. Agit itaq; August. de corpore Christi eo loco, quatenus habet formam uisibilem, et eo modo tantū dicit esse in cœlo, nisi aliter quādoq; miraculose obueniat. Verū in sacramēto est, secūdū formā inuisibilē, secundū quā simul esse in diuersis locis credidit August. nam facit mentionem nostri sacrificij in illa eadem epist. Nec dubitandum est Christum se offerre uisibilem, & rursus inuisibilem, prout uoluerit: Vt Luc. 4. cum se subduceret è turba, ac per medium illorum iret: atq; in monte Thabor ostēdit corpus suum glorificatum. Ad Aug. ergo respondeo, quod multo magis nūc istiusmodi opera facit pro suo libito. MAR. Multa congessisti, sed ex his oībus non potest elici illa dicta Aug. uel ecorpus Chri simul esse in pluribus locis: Etsi meminit sacrificij nostri, est id alia de causa, neq;

Argumentū ex Augustino ad Dardanum.

neq; ad hunc articulū pertinet, ut patet legentibus: Imò ibi ſacrificium noſtrum refert ad unitatem corporis myſtici, neq; ullam mentionem facit carnis aut ſanguinis ipſius Chriſti: Neq; aſſumit errores de anima, uel mente Chriſti confutandos, imo ſupponit Dardanum non eſſe illis implicatum, & patet, quam contra uos ibi ſcribat, cum accidentia nolit eſſe ſi deſit ſubiectum, neq; corpora, ſi eis locum auferas. Et certe ſi uobiſcū faceret, cum iſta ſcribebat, debuit Euchariſtiam excipere. Huc accedit, quod ſi daremus corpus aliquod poſſe eodem tempore, in pluribus locis eſſe, concedendum eſſet, & in omnibus poſſe eſſe, quod & Scotus uidit. Cæterū, ut iam aſſerui, adhuc ſtat ex Auguſtini ſentētia, propter uerum corporis modum requirere corpus Chriſti certum locum. TRES. Poteſt attamen, ſi deus uelit, eſſe in multis locis, imo in quotquot ipſe uoluerit, neque derogandum eſt diuinę potentię in eo, quod nō claudit contradictionem ex terminis. MAR. Nihil diuinæ potentiæ à me ſubducitur, quamuis ita dixerim, & de potentia dei loquor cum omni modeſtia, ſed multa ſunt quæ ideo nō poſſūt fieri, eo quod rerum natura non patitur, ut quę repugnant, et ueluti à uobis dicitur, contradictionem implicant, nec id attribuendū eſt infirmitati dei. Tu uero hic non eſſe repugnantiā ex terminis (ut loqueris) minime oſtēdiſti, id tantum dicis. TRES. Nulla eſt hic difficultas ex parte rei, nam Paulus diſtinguit inter corpus animale & ſpirituale. Corpus autem Chriſti eſt ſpirituale, et hinc tollitur omnis difficultas ex parte rei, neq; tantum corpus Chriſti ſpirituale eſt, uerum & noſtra corpora ſic erunt poſt reſurrectionē. MAR. Scio

Si corpus Chriſti poſſet ſimul & eodem tēpore in multis locis eſſe, poſſet ubiq; eſſe

Scio corpus Christi esse spirituale, sed August. ait in Epist. ad Cosentium: Intelligitur corpus animale, dici simile cæteris animãtibus, propter mortis dissolutionem & corruptionem, spirituale autem corpus, quod iam cum spiritu immortale est. Et mox. Proinde sicut animale corpus, non est anima sed corpus, ita & spirituale corpus, non spiritum debemus putare, sed corpus. Et de Ciuit. Dei lib. 13. cap. 20. Sed quia spiritui summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur, usq; ad implendi immortalitatis indissolubilis securissimam uoluntatem. Et mox, Sicuti spiritus carni seruiens, non incõgrue dicitur carnalis, ita caro spiritui seruiens, dicitur spiritualis non quod in spiritum conuertatur. Audis quæ dicantur de corpore spirituali, inter quæ non habetur, quod simul sit in diuersis locis, quia hoc esset dicere corpus non esse corpus. Tantum enim naturæ corporis repugnat, simul esse in diuersis locis, quantum non esse corpus. TRES. Nego assumptum, tantum repugnare naturæ corporis, uersari simul in pluribus locis, quantum corpori non esse corpus: nam hoc postremum, claudit contradictionem ex terminis, non illud quod præcedit. Et expeditius id fieri poterit i corpore habẽte in se dotes corporis glorioſi. MAR. Infra probabo, corpori Christi cũ finitũ, circumscriptumq; sit & creatura, repugnare, ut sit in multis locis simul. quo uero ad gloriam quam nunc habet, dico me gloriæ dotes non excludere. Sed persequor argumentum institutum, quod Augustinus non uoluerit animam Christi simul esse in inferno, & in cœlo cum latrone, multo ergo minus hoc dabitur corpori quod

Corpus animale & spirituale.

animę nõ tribuitur. Neq; in ea tractatione excludit Aug. eucharistiã. TRE. Imo uero excluſit. MAR. Meminit Auguſt. infra Euchariſtiæ, ſed longe aliud agens, non ut excludat à definita ueritate. Agebat enim de ſpiritu ſancto, quomodo unus exiſtens ſua dona diſtribuat abſq; ſui diuiſiõe, & corpus myſticum eccleſiæ adornet ſuis chariſmatis, quod myſticum corpus Chriſti ait in noſtro ſacrificio demõſtrari. TRES. Quid ſi Auguſtinus neget animam Chriſti eſſe poſſe in diuerſis locis, ergo nõ poteſt eſſe? Nũ dictũ Auguſtini derogabit potẽtię dei, quo minus id pro libito faciat? non derogabit. MART. Satis eſt in præſentia uidiſſe Auguſtini ſenſum, quod Chriſtus, quoad humanitatẽ, & propter ueri corporis modũ, in cœlo eſt, quo uero ad diuinitatẽ, ubiq;. TRES. Cum Auguſtinus dicit, Chriſtus per id quod eſt homo, in cœlo eſt, intelligit id uerũ eſſe ſecundum formam uiſibilem, ita enim ſeipſum ibi exponit, dicens, Sic uenturus eſt, illa angelica uoce teſtante, quemadmodum ire uiſus eſt in cœlum, id eſt (ut eius utar uerbis) in eadẽ carnis forma: Secũdum hanc inquit formam, non eſt putandus ubiq; diffuſus. Poſtea Auguſtinus ibi meminit noſtri ſacrificij, in quo dicitur: Gratias agimus. Et eo tempore nemo ambigebat de ueritate ſacramenti.

In quem finem Auguſtinus ad Dardanum meminit Euchariſtiæ.

MAR. Ex Auguſtino ibi nunquam habes corpus Chriſti inuiſibili forma poſſe eſſe in multis locis: hæc tu fingis. Et iam oſtendi in quem finem ibi memínerit Euchariſtiæ. Deinde non agimus hic de ueritate ſacramenti, quam omnes fatemur, ſed contenditur de modo quo Chriſtus ibi ſit, oſtendam uero certiſsime ſolius eſſe Dei, in multis locis & ubiq;

ubiq; esse, nec dandum creaturis. Nam hac ratione probat Didymus lib. pri. de spiritu sancto, diuinitatem spiritus sancti, quia potuit simul esse in pluribus locis, quod non est ullius creaturæ. Et hanc eandem rationem fecit Basilius in suo libro de spiritu sancto, Cap. 22. Vnde si firma sit istorum demonstratio, concluderetur humanam naturam in Christo esse diuinam naturam, cum ponatur à vobis esse simul in multis locis, & sic omnia confunderentur. Sed audiamus iam eorum uerba. Didymus ita habet: Ipse Spiritus sanctus, si unus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut uniuersa quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus, inuisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus, cum in pluribus locis sit, non habet substantiam circūscriptā. Mittens quippe Iesus prædicatores doctrinæ suæ repleuit eos spiritu, & insufflans in faciem eorum, Accipite (inquit) Spiritum sanctum, & euntes docete omnes Gentes: Non quasi omnes cunctis gentibus mitteret, neq; enim omnes Apostoli ad omnes gentes pariter sunt profecti, sed quidam in Asiam, quidam in Schytiam, & alij in alias diſperſi nationes, secundum dispensationem illius, quem habebant spiritus sancti. Quomodo & Dominum dicentem audiuimus: Ego uobiscum sum usq; ad consumationem sæculi: his & illud congruit Accipietis uirtutē supueniētis spiritus sācti in uos, et eritis mihi testes in Hierusalem, in omni Iudæa et Samaria, & usq; ad extremū terrę. Si ergo hij in extremis finibus terrę, ob testimoniū Domini constituti,

Solius Dei est simul esse ī multis locis et creaturis non cōmunicatur. Didymus

Creaturæ habent substantiā circūscriptā

tuti, distabant inter se longissimis spacijs, aderat autem eis inhabitator spiritus sanctus, incircumscriptã habens substantiam, demonstratur Angelica virtus ab hoc prorsus aliena: Angelus quippe qui aderat, uerbi gratia, apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse alijs, in cęteris partibus mundi constitutis. Spiritus autem sanctus, non solum seiunctis à se hominibus præsto est, sed & singulis quibusq; angelis, principatibus, thronis, dominationibus, inhabitator adsistit, et vt homines sanctificans, alterius quàm sunt homines, est naturæ. Basilius de spiritu sancto, cap. 22. Proinde de spiritu, quem mundus capere non potest, sed à solis sanctis, per cordis puritatem videri potest, quid aliud iudicandum est, quàm omnis generis honoris illi competere? Reliquæ virtutes omnes in loco circumscriptę esse creduntur, nam Angelus qui astabat Cornelio, nõ erat in eodem loco, quo cum astaret Philippo, neq; qui loquutus est Zacharię ab altari, per idem temporis etiam in cœlo suam implebat stationem: At spiritus simul & in Abacuc operatus, et in Daniele in Babylone creditus, & in catharacta fuit cum Hieremia, & cum Ezechiele in Chobar: Spiritus enim domini repleuit orbem terrarum: &, Quo ibo à spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam? Et propheta, Quoniam inquit, vobiscum dicit dominus, et spiritus meus stat in medio vestri. Eum vero qui vbiq; est, qui Deo præsens est, cuius esse naturæ credi oportet? Vtrum omnia complectentis, an particularibus arctatę locis? qualem esse naturam angelorum dei filius esse demõstrauit. Verum hoc nequaquã dicturus es. Hic mihi vide-

Angeli nõ possunt simul esse in multis locis.

Basilius.

as

as istos sanctissimos atq; doctissimos viros, statuere omnem creaturam, Angelos etiam circumscriptæ esse naturæ, et non posse pariter in diuersis locis esse: Et ita probant diuinitatem spiritus sancti, eo q̃ simul in diuersissimis locis inueniatur. C̃otrahatur in formam. Quicquid in multis locis est simul, est deus, Corpus Christi non est deus sed creatura, ergo, corpus Christi non est simul in multis locis. Ratio.

TRES. Ego non asserui corpus Christi esse ubiq;, quamuis in pluribus locis simul esse possit. Et licet corpus Christi assumptum, non sit deus, Christus tamen deus est. Quo autem ad Basilium, et Didymũ, et Augustinum attinet, ipsi de eo tantũ loquuntur, quod suapte natura ubiq; aut multis est in locis, et id probant esse deum: non tamen vsquam potentiæ diuinæ derogat, quin aliud à deo per eius potẽtiam, in uarijs locis simul esse possit. MAR. Quando ponitur posse simul esse in multis locis, pari ratione potest poni vbiq; esse. Et quod ais istos pares loqui de eo quod suapte natura potest esse in multis locis, & illud ponere deũ esse, non tamen negare, quin per diuinam potentiam aliquid creatũ possit esse in multis locis, non est verũ. Imo hoc illorũ euertit demõstrationẽ de spiritu sancto: Nam dicet hęreticus, Si spiritus sanctus fuit in multis locis, hoc fuit per potẽtiam dei, non suapte natura: quare ista ratione nõ conuinceretur non esse res creata: Ideo ad hoc ut cõcludant, oportet illos simpliciter intelligere, quod quicquid est in pluribus locis simul, deus est. TRE. Christus est Deus, id nobis satis est. MART. Cauendum tamen (ait August.) ne ita diuinitatẽ Christo astruamus, vt humanitas eius destruatur. TRE.

Dico quod Christi humanitas non destruitur, loco illi plurificato, nam cum ipse sit omnipotens, potest simul esse, etiam secundum corpus, in multis locis, & ubi velit. MAR. Quæstio est, non utrum Christus sit omnipotens, aut Deus: ambo enim hoc fatemur, sed an corpus eius possit esse simul in multis locis. Isti hoc negant de ulla creatura dici posse, tu vero affirmas de corpore Christi, quod tamen est creatura. Quæro igitur ex te, an corpus Christi sit circumscriptũ. TRES. Est in summa, vbicũq; vult, & potest esse in pluribus locis. MART. Audi saltem Cyrillum in dialogis de Trinitat. lib. 2. pag. 245. Si uere sectionem et partitionem diuina natura (vt illi dicunt) reciperet, intelligeretur et corpus, si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine, & in quantitate. Et si quanta esset, non effugeret circumscriptionem. Vide ergo quàm frustra cuncteris dare mihi corpus Christi circumscriptum esse, cum Cyrillus aperte dicat, etiam diuinitatem fore circumscriptam, si quanta esset, vndę inuictum est hoc argumentum: Quicquid est circumscriptum, non potest simul esse in multis locis. Hãc propositionem uoluerũt patres modo citati. Addas minorem: Corpus Christi est circumscriptum, cum enim quantum sit, non potest effugere circumscriptionem, quod modo testatus est Cyrillus, igitur non potest esse simul in multis locis. TRES. Maior intelligitur de corporibus crassis, non de glorificatis. Quomodo potest claudi aliquo loco, illud corpus quod clauso tumulo surrexit, & clausis ianuis intrauit? MART. Id ego iamdudum ex Cyrillo doceo, quod si vel ipsa diuinitas esset quanta,

Cyrillus.

Quicquid est corpus est in loco in magnitudine & quantitate. et quicquid est quãtũ est circũscriptum.

esset

esset circumscripta. Cum ergo non excludat deum, multo minus eximet corpora glorioſa, cum nihil ſit glorioſius deo, neq; eſt qđ modo egreſſum tumulo clauſo, aut ingreſſũ clauſis ianuis mihi obijcias. Patebit locus dicendi ad iſta, cũ vices dabũtur, & mihi reſpõdendi, & tibi obijciendi. TRE. Cyrillus loquit de quanto habente modũ quãtitatis, et ad eũ modũ nõ aſtringit corpora glorioſa. Deinde nos fatemur accidens poſſe eſſe ſimul in multis locis, Exẽpli gratia: Sanitas vna & eadem eſt in omnibus partibus corporis, & negabimus hoc corpori Chriſti? MAR. Non potuit Cyrillus expreſsius dicere, & diligentius omnia ſuffugia obſtruere, quando nec ipſam diuinitatem excluſit, ſed ſcripſit ipſam diuinitatem quoq;, ſi quanta eſſet, & locum oportere eam habere, & circumſcriptam eſſe. Quod uero mihi reſpondes de accidenti, id eſt, de ſanitate, non eſt ęqua ratio utrinq;, quia ſanitas eſt qualitas, non corpus, nec locum occupat, & eſt vna & eadem, pro vt corpus animantis, in quo eſt, dicitur vnum. Sed ſanitas vnius et eiuſdem animantis, non eſt eadem in alio animanti, nam qualitates pro locis habent ſua ſubiecta, et illis impoſsibile eſt ſimul eſſe in diuerſis ſubiectis numero, ſed omnes partes animantis ſunt idẽ ſubiecto, et unum per colligationem membrorum. TRE. Ratio Didymi procedit de eo quod eſt ſuapte natura in multis locis, et non aliter. Et conſentiũt omnes doctores Chriſtũ natum clauſo matris utero, & quod ſurrexerit clauſo tumulo, & intrauit ad diſcipulos ianuis clauſis. Et Hugo de ſancto Victore dicit, Angelos non circumſcribi loco. Vnde etſi Chriſti corpus proprie ſit in cœlo, attamen quia

Accidens nõ poteſt eſſe ſimul in duobus ſubiectis.

eſt

est spirituale, nō repugnat potētiæ diuinę, quin possit esse in pluribus locis. MAR. An patres intelligāt suas ratiōes, de eo quod est suapte natura in multis locis, iam respōdi: de utero autem uirginis, tumulo et ianuis clausis obijcies, et ego respondebo suo loco. Hugonem uero de sancto Victore, & alios, cum dicunt Angelos non circumscribi loco, intelligendos esse dico de locali ambitu, quo corpora, quę sunt apud nos, circumstante aëre, uel aliquo alio continenti, ambiuntur. Non autem possunt accipi hæc, ut intelligantur Angeli uel ulla creatura, non habere substantiam definitam, ita ut cum alicubi sint, alibi esse non possint. Redeo itaq; ad argumentum: firma est consequutio, hoc est simul in multis locis, ergo est diuinitas. TRES. Respondeo. Christus est Deus, & nunc inter nos est sermo de corpore, quod habet cōiunctam diuinitatem. MAR. Te interrogo. Est ne corpus Christi res creata? TRES. Fateor esse, sed Christus non est creatura. MAR. Ego uero Christū utrūq; aio esse, & creatorem & creaturam, quo ad diuinitatem, creator est, quo ad humanitatem, creatura: et si creatura, ut isti patres asserunt, non potest esse simul in diuersis locis. TRESHA. Quod semel Christus assumpsit, nunquam dimisit, ideo propter diuinitatem corpori eius inseparabiliter annexam, potest Christi corpus esse in pluribus locis. MAR. Christum & nos minime diuidimus, integram tamen uolumus utranq; naturam: Cumq; diuinitas non efficiat, quin corpus Christi sit creatura, & iam habuisti ex Basilio & Didymo, non posse uirtutes creatas simul esse in pluribus locis: ipse uides quid sequi-

Quomodo Angeli dicantur nō circūscribi loco.

Christus est creator, & creatura propter diuersas naturas.

Christus non diuidendus sed tamen naturæ discernendæ.

quitur. TRES. Illi disputabant de natura rei, non de absoluta dei potentia, nec est sequenda ratio aut sensus in rebus fidei, alioquin multa sequerentur absurda. MART. Nescio quomodo potuerint apertius loqui de potentia dei, quando Cyrillus nec ipsam diuinitatem excludit, cum ait: Si quanta esset, non effugeret circumscriptionem. Agnosco autem quod dicis, in rebus fidei non sequendam esse rationem, neq; sensum. At non est articulus fidei, Christi corpus esse in multis locis, cum hoc nusquam doceat scriptura, imo secus habetur ex ea, Christum uidelicet esse uerum hominem, & uerum habuisse corpus, cui maxime conuenit, ut sit circumscriptum, & certo aliquo loco ambiatur, & quoad corpus credimus ascendisse in cœlum, reliquisse mundum, & sedere ad dexteram Patris.

Disputatio alterius DIEI, QVI FVIT 29. Maij,

INTER D. P. MARTYREM, ET D. Gulielmum Cheadzeum.

D. MARTYR

NON censeo eximij viri, atq; ornatissimi Legati Regij, utendum esse in præsentia ulla præfatione. Nam quæ uisa sunt ad propositum negotium accommodata, heri diximus. Vestraq; prouidentia & authoritate perfectum est, ut omnia tranquilla atq; pacata fuerint. Quod nec minus ho-

die futurum expecto. Nunc itaq; quod ad rem attinet, egregie atq; eruditissime doctor, hesterna die cum adfueris, potuisti satis intelligere, Quæ sint propositæ quęstiones, & meę sentētię nōnullas rationes pcipere. Vt itaq; in īstituto pergamus, Rogote, ut dicas, quidnā sentias de quæstionibus, nec uereor, quin abs te iusta moderatione omnia dicenda sint. Cæterum, antequam respondeas, permittes, ut pro more meo, diuini numinis auxilium implorē.

PRECES.

CEPIMVS heri tuis auspicijs, Deus optime Maxime, disputationes exequi, & cum in eo quoq; negotio sit hodie pergendum, te denuo, qui fons es luminis, integerrima ueritas, & candidissima sapientia, inuocamus, quo sic verba dirigas, ne labamur in absurda, sed potius quæ tractanda sunt, et reddantur planiora, & illustrentur ad laudem & gloriam tui nominis, per Christum dominum nostrum. AMEN.

Præfatio Gulielmi Cheadzei.

MAGNA res est & mysterijs plena, insignissime Doctor, quæ & heri tractabatur, & tractatur hodie. Magna, quia de corpore, quo satiamur & uiuimus in æternum, & de sanguine quo potamur, et qui redemit plebē, disputatur. Mysterijs plena, quia nisi credideritis, nō intelligetis. Verba mea Spiritus & vita sunt. Spiritus est qui uiuificat, Caro non prodest quicquam. Audiunt Capernaitæ & dicunt: Durus est hic sermo, et quis potest eū sustine-

ſtinere? Audiunt Chriſtiani, & incunctãter cũ Petro clamant: Verba uitæ æternæ habes: Nos credimus & cognouimus, quod tu es uia, ueritas, & vita: Nos credimus promiſiſſe te ſpiritum ſanctum, non poſt unum aut alterum millenarium venturũ, ſed non poſt multos hos, de quibus loquutus es, dies. Agnouimus huius ſancti tui ſpiritus functionẽ. Ducet nos in omnem veritatẽ, docebit nos omnia quęcunq; dixiſti nobis. Cum tu ergo ſis uerax, imò ipſa veritas, cum non poterint eſſe irrita, quæ procedunt de labijs tuis: Quantum ad præſentiam corporis tui in ſacratiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, firmiter credo ex ore tuo, & pronuncio ex corde meo, neque fictitium, neque phantaſticum, non imaginarium, nõ nude figuratiuum, ſed verum, reale, ſubſtantiale, et ne videamur à craſsioribus abſtinere terminis, corporale, naturale, & carnale adeſſe corpus tuum, te dicente: Accipite, manducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, frangitur, tradjtur, aut tradetur. De modo autem, quo, aut qua ratione ibi ſit, an cum pane, an tranſelemẽtato, et (vt dicunt) tranſubſtãtiato pane, apertis uerbis ſcriptura non docet. Sed quid dicemus? apertis verbis non docuit, ergo non docuit? abſit. Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo. Docuit, Panis quẽ ego dabo, caro mea eſt, quã dabo pro mundi uita. Docuit, accipiens panem in manibus ſuis, gratijs actis, fracto pane, diſtributo, Hoc eſt corpus meum. Docuit, ſed obſcurius. Noluit tunc tangi, quia nondum aſcenderat ad patrem ſuum. Aſcendit, miſit Sanctũ ſpiritum, hic Sanctus ſpiritus functus eſt officio ſuo: Docuit Eccleſiam.

Fatetur ſcripturã aptis uerbis non docere tranſubſtãtiationem.

Docuit concilia, docuit patres omnem veritatẽ, Ipsum ergo audite, ipsi confidite, uincit & vincet mundum. Cęterum cum nemo sit tam fœlicis ingenij, tã tenacis memorię, tam sanę et solidę orationis, qui aut argumentorũ ui, aut authoritatum apparentia, aut patrum obscuritate in re alioquin verissima, facile nõ perturbetur, à uobis pręstãtissimi Legati Regij ueniam peto, & obedientiam promitto, si quæ fortasse protulero, aut scripturis repugnãtia, aut regni huius decretis ullo modo dissona. Quo autem hęc oia fęliciter perficiamus, cõmunibus votis, eius sancti spiritus inuocemus auxiliũ, qui omnia scit, omnia docet, una precantes: Veni sancte spiritus, reple tuorum corda filiũ, &c. Oremus. Deus qui corda fideliũ sancti spiritus illustratione, docuisti. &c.

Ergo iam Insignissime doctor, accingo me ad quęstiones propositas, sed prius pace tua, ptim propter eruditionẽ meã, partim quod quæ heri à te adducta sunt, tibi non videntur soluta, partim, vt qui adsunt non seducantur, transcurram per duas aut tres authoritates, quas hesterno die protulisti. Arguisti ex D. Cypriano: Sicut in persona Christi latet diuinitas &c. Et sicut diuinitas & caro unus est Christus, ita panis & Christi corpus, unum constituunt sacramentum. Respondeo similitudinem quadrare, non quantum ad pręsentiam, sed quantum ad latentiam, vt scilicet: Quemadmodum in humanitate latenter est diuinitas, vtq; anima rationalis est latenter in corpore, ita in sacramento sub specie panis latenter est corpus Christi, alioquin si teneant similia, quo ad omnes partes, consequeretur, Christum non potuisse mori, et animam nunquã fuisse à corpo-

Vult respõdere argumẽtis quæ nõ fuerũt soluta ab altero. Ad Cyprianum.

corpore ſeparatã. Nam Athanaſius habet: Sicut anima rationalis et caro vnus eſt homo, ita Deus et homo vnus eſt Chriſtus: quod tamen falſum eſt, quia diuinitas nõ potuit ab humanitate ſeparari, id eſt vel à corpore vel ab anima, cum tamen anima potuerit per mortem à carne diuelli. Gelaſius, quẽ pro te adducis, Neſtorio fauit, nec bene conſequitur, in parte non eſt Neſtorianus, ergo nõ eſt: Certe fuit ſuſpectus huius hęreſeos. Poſſet igitur negari, ſed tamen ſeipſum exponit: Manet in proprietate naturæ, hoc eſt, in accidẽtibus & ſpeciebus panis, habet guſtum panis, habet nutriendi facultatem, et cæteras qualitates panis. Et hoc ſenſu utitur Aug. in epiſt. ad Dardanum iſta uoce, ſubſtantia, cũ dicit: Vẽturus eſt, illa angelica uoce teſtante, quemadmodũ ire uiſus eſt in cœlum, id eſt eadem carnis forma, atq; ſubſtãtia. Quodq; ad Auguſt. ad Dard. attinet, verũ eſt Chriſti corpus eſſe in vno tantum loco, ſub humana forma. Attuliſti deinde Auguſt. in ſentẽtijs Proſperi, qui dicit, ſacramentũ ex duabus rebus confici, id eſt ſacramento, et re ſacramenti. Reſpondeo, ſacramẽtum externum illud eſt, quod apparet oculo, res autem ſacramenti, eſt corpus Chriſti. In ſũma, vult Auguſt. ſacramentum hoc duobus conſtare, ſcilicet externo ſigno viſibili, id eſt, ſpeciebus panis & vini, et re ſacramenti, id eſt corpore Chriſti, et iſta reuera manẽt: hoc eſt quod ex Auguſtino colligitur. Nam idem Aug. uocat ipſum, et non ipſum. Theodoreto autem, tametſi non mihi extet liber eius, et apud Cyrillum cum Neſtorio damnetur, dico eundem eſſe ſenſum, quem intelligunt alij patres, qui cum aiunt manere naturam, intelligunt proprietatem panis.

Ad Gelaſium.

Ad Auguſtinum ad Dardanũ.

Ad eundẽ in ſententijs Proſperi.

Ad Theodoretum.

Et ita nō negamus Theodoretum, ſed admittimus, uerum hoc ſenſu, ne ipſe unus repugnet multis. Et hęc eſt regula, quam ipſe voluiſti obſeruari in patribus interpretandis. Fatemur uera eſſe, quę habet Orig. in Math. 15. cap. in fragmentis, quod hoc materiale ſcilicet, uadat in ſeceſſū, Sed ipſe ſe interpretatur alibi: Nō inhæreas inquit ſanguini carnis, ſed diſcas ſanguinem verbi. Nam ſine fide ſi ederimus carnem, aut biberimus ſanguinem, nō prodeſt, ſed uadit in ſeceſſum, non ipſa caro, ſed panis et uinum quia in ſermone de lapſis habet idē, Cyprianus, dominum ſcilicet recedere cum negatur, et ſubdit, cū gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente mutetur. Ireneus inquis lib. 4. cap. 32. appellat panem, et eſt ſane ante conſecrationem uerus panis. Attamē ex hac materia, accedēte uerbo, fit corpus Chri, unde illa creatura pręcedit conſecrationē. Quodq; ait calicē qui eſt ex creatura, quæ eſt ſecūdū nos, ſuū ſanguinem confeſſus eſt, oſtēdit mira dei omnipotentia ex creatura, quæ eſt ſecundū nos, fieri ſanguinem domini. Nec eſt intelligendū, quod ſimul Chriſti ſanguis ſit & uinū, ſed quod creatura ſecundum nos, fiat ſanguis poſt verba prolata. Greg. itidem in regiſtro ait, poſſe confici tam ex azymo, q̄ ex fermentato, non quod intelligat manere panē. Ad hęc Epiphanius in Anchorato abs te introductus eſt. Iſq; locus maxime pro nobis facit, unde miror te ſeciſſe Epiphanij mentionē. Et pro reſponſione ſatis erit uerba eius legere. Videmus quod accepit ſalvator in manus ſuas (ut habet Euangeliū) quod ſurrexit in cœna, & accepit hęc, et vbi gratias egiſſet, dixit, Hoc meum eſt, hoc et hoc, et uidemus, quod nō

Ad Origenem.

Ad Irenæum.

Ad Gregorium.

Ad Epiphanium.

æquale

æquale est, neq; simile, non imagini in carne, non in uisibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim est rotundæ formæ & insensibile, quoad potentiam, et uoluit per gratiam dicere, hoc meum est, hoc & hoc; et nemo nō fidem habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum uerum, sicut dixit, is excidit à gratia et salute. Ex ijs intelligi licet, quod quis quis nō credit ibi esse uerū corpus, is excidit à gratia & salute. Iam ut ad rem propositam accedamus, Respondeo de prima quæstione: In sacramento Eucharistiæ Panem & uinum transubstantiari, in uerum corpus & uerum sanguinem Domini nostri Iesu Christi. MAR. Audiui te adferentem multa de rebus heri transactis, & conatus es ad ea quæ ego in obiectis habui aduersus alterum antagonistam, satis prolixe responsum accommodare: Sed modo, si demonstrare uelim, quam sint ualidæ tuæ responsiones, distraheretur disputatio in immensum. Item cum habeam rationes alias, quibus proferendis non sufficiet (ut opinor) hodiernæ diei spacium. Bona fide recipio, me illo die, quo tibi sum responsurus, tua hæc omnia repetiturum, ac ostensurum quam parum ualeant, ad meas partes infirmandas. Interim ne quis me falsò criminetur, aut in inuidiam adducat, motus uerbis tuis: Testor me agnoscere, nos uerum corpus & uerum sanguinem Christi accipere in communione, sed animo et fide. Neq; statuo corpus fictitiū, aut phātasticū: nūc uero tātū id uocatur in dubium, quomodo illud uerum corpus & uerus sanguis præsens sit in Eucharistia. Ego dico spiritu aliter, et nos fide illud complecti, et præsens facere.

Tu

Tu uero asseris, nos ipsum ore & carnaliter, percipere. Omninoq; mihi persuadeo, & certo scio, quæ dixi non facere ad seductionem auditorum, uti tu me insimulas, sed ad ueritatem docendam: attamen his omnissis agrediamur tractandam quęstionem.

Analogia ī sacramētis debet seruari.

MAR. In omnibus sacramentis, inter sacramentum & re sacramenti, seruari debet analogia, quā Cicero conuenientiam dixit. Et August. de Cathechizandis rudibus, vult sacramentum habere similitudinem rei. Quod idem testatur & in epist. ad Bonifacium, ubi propter hanc similitudinem, dat sacramentis nomina rerum. Cum itaq; Eucharistia pro re sacramenti habeat & corpus Christi, & corpus mysticū, uos qui ei detrahitis panem & uinum per transubstantiationem, analogiam euertitis, quæ in hoc sita est, ut sicuti nutrimur pane & uino naturaliter, ita corpore & sanguine Christi nutrimur spiritualiter, in utroq; homine. Et quo ad corpus mysticum, in eo habetur similitudo, quod ut panis et uinum constant ex multis simul congestis, & confluentibus, id est ex multis granis & multis acinis, ita corpus mysticum ex multis constat membris, quæ in unum coalescunt.

Duplex analogia eucharistiæ.

CHEADZEVS. Nego minorem, quod subtracta panis substantia, tollatur analogia. MART. Eam probaui: Nam quemadmodum corpus nostrū alitur pane & uino naturaliter, ita spiritualiter nos alimur corpore & sanguine Christi. Planum est autem corpora nostra non ali accidentibus, sed substantia. CHEAD. Non tollimus analogiam, quia ea consistit in materia, quæ habetur ante consecrationem: Accedit enim uerbum ad elementum, & fit sacra-

Corpora nostra nō alūtur accidētibus.

ſacramentum, atq; habita conſecratione, remanent accidentia, quæ nos manuducũt ad illam ſimilitudinem, et illa externa ſufficiunt ad oſtẽdendum quod tu quæris. et relinquuntur, magna dei miſericordia, ne horreamus Chriſti corpus & ſanguinẽ, ſi oſtẽderẽtur nobis abſq; ſpeciebus panis et uini. Nec requiritur propter iſtam conuenientiam, ut natura panis & uini maneat. MAR. Multa habes in tua reſponſione capita, ad ſingula replicabo. Primum quod ais ſufficere, ut ante conſecrationem ſit panis & uinum, ex quibus ſubſtantijs alimur, non efficit, quin in ſacramento ipſo auferatur à uobis conuenientia. Nos enim loquimur de ſacramento, quãdo iam eſt ſacramentum, & ibi analogiam ſeruandam contendimus, uos eam ponitis ante ſacramentum, & cũ ad ſacramentum uentum eſt, ſubtrahitis, & ita peccatis in ſacramentum. In Baptiſmo certe non ita agitur, aqua enim, qua communiter abluimur, ſignificatur animæ purgatio, neq; ſubducitur, imo permanet, & illa abluimur. Si autem ſubtraheretur, non eſſet plenum ſacramentum. Itaq; non ſatis eſt dicere, ante conſecrationem fuiſſe habitam debitam materiam. Deinde quod addis ex Auguſtino: Accedit uerbum ad elementum, & fit ſacramentum, maxime aduerſum te facit, non enim inquit, extrudit elementum, ſed accedit ad elementum: & ſenſus eſt, ipſum elemẽtum fieri ſacramentum, Et eandem miſericordiam, quam tu dicis præſtari nobis per accidentia, ut illis occultetur corpus Chriſti, ne dum cõſpicitur horrorem pariat: habemus, dum panis manet, & uinum. Non enim à conſuetis naturis horremus. Quodq; aſſeris accidẽtia uel ſpecies nos

Iſti ponũt analogiã in materia Euchariſtiæ, antequam ſit ſacramentum.

In baptiſmo ſeruatur analogia quia manet aqua.

Si verbũ accedit ad elementũ, non illud extrudit.

Horrorẽ bene auferetur per panẽ, quã per accidentia.

manuducere in illam similitudinem, non satisfacit. Primo, quia fictitium est quod dicis de accidentibus. deinde quia hoc debet manere, quod nos alit naturaliter, quod minime præstant accidentia. Debet enim sacramentum significare rem sacramenti, non autem pristinam substantiam, quam ipsum dicitis abiecisse. Postremo, quare extrudatis panem, nullam adfertis causam. Ego heri sæpe quæsiui, & nihil audiui, forte tu adferes. CHEAD. Primũ respondeo, non requiri ut panis maneat in Eucharistia, sicuti aqua in Baptismo, non enim utriusq; sacramenti eadem ratio est. Hic enim dicitur, hoc est corpus meum, non autem illic, hæc aqua est sanguis meus, aut corpus meum. Deinde non est necessarium, (quemadmodum argumentaris) ut maneat elementum, post accessionem uerbi. Et naturalis ratio hoc docet simili, ut in digestione accedit naturalis calor, ad cibum iam susceptum, & mutat eius substantiam in carnem, sic in sacramento accedens uerbum, mutat substantiam panis in uerum corpus Christi. Et quod abs te quęritur, cur panem tollamus, Respondeo: quia spiritus sãctus præuidit futuros hęreticos qui diceren t panem esse in sacramẽto cum corpore Christi, substantiamq; panis esse carnem Christi: et qui negarent realem præsentiam, eo quod ibi remanere contenderint substantiam panis. MART. Distinguitur tua respõsio in tria capita, primũ est, quod non admittis similitudinem inter Baptismum et Eucharistiam, quasi ego argumentatus sim à simili. Obiter attigi de Baptismo, sed capitale fundamẽtum erat, debere seruari materiam conuenientem in sacramentis, ea uero est, quo ad Eucharistiam,

quæ

quæ nos alat, quod à ſubſtantia panis ſit, non ab accidentibus. Neq; propterea nego non debere eſſe eandem rationem in Baptiſmo, & Euchariſtia, neq; tu ſecus oſtendiſti. Deinde contendis Auguſtini dictum: Accedit uerbum ad elementum, & fit ſacramentum, contra te non facere, ut propoſueram. Sed ego id probo, eo quod ſentiat elementum manere, & ei coniungi uerbum, & ſic ex illis fieri ſacramentum. Et tuum ſimile de naturali digeſtione, ad rem non facit. Accedente enim calore naturali, conuertitur cibus in ſubſtantiam noſtram, quæ ſi abiret, ut uos in tranſubſtantiatione panem excluditis, non ſuſtentaremur, aut nutriremur ullo pacto. Et eandem rationem eſſe caloris naturalis, atq; uerborum conſecrationis, non facile mihi probabis. Poſtremo, de cauſa quam adfers, quare panem reijciatis, eo quod Spiritus ſanctus præuiderit futuros hæreticos, qui dicerent panem manere, uel corpus CHRISTI non eſſe, autſubſtantialiter aut realiter in Euchariſtia, dico eam uahath eſſe: Nã iſti hæretici (ut uos appellatis) futuri erant omnes patres, qui panem ibi conſeruant. Deinde, ſi ſpiritus ſãctus hoc docuit eccleſiam, cur uerbũ non profertis, quo hoc docuerit. CHE. Non requiritur, ut materia maneat in hoc ſacramento ſecundum ſubſtãtiam, nam poteſt analogia (ut dixi) haberi per accidentia quæ manent. Deinde Auguſtinus non dicit elemẽtum manere: atq; facta digeſtione, ſubſtantia panis minime retinetur. Et de hoc medicorum & philoſophorum eſto iuditiũ. Poſtremo reſpõdeo: Spiritus ſanctus eccleſiam docuit ĩ Lateranẽſi cõcilio, ponẽdã eſſe trãſubſtãtiationẽ

Quando ſpiritus ſanctus dogma fidei docet de eo verbũ extat.

Quãdo petitur uerbũ dei, male respõdetur per cõcilium.

De concilijs parum curandum sini ex verbo dei statuant.

MAR. Ad extremam partem responsionis, obijcio, me petijsse verbum Dei, quo Spiritus sanctus docuerit transubstantiationem, et tu mihi respondes per concilium Lateranense, de quo non est curandum quid statuerit, nisi ex verbo dei sua decreta cõprobarit. Sed quid hoc abs te quæro cum tu fassus sis in tua præfatione, transubstantiationem ex sacris litteris expresse non posse probari? Contra alterũ repeto, quod nisi materia & substantia cibi vel panis, post digestionem in nobis maneret, non uiueremus: abijcitur quidem aliqua portio per secessum & excrementa, sed nisi vicissim aliquid maneret, non sustentaremur. Sed quã pulchre faciat pro uobis hoc simile, ostendam: In naturali concoctione, substantia & materia cibi pro debita portione retinetur, abijcitur uero forma & accidentia. vos vero contra hic substantiam abijcitis, & retinetis accidentia. De hoc (vt tu quoq; dicebas) ego velim medicos philosophosq; iudicare: nam in nutritione formam panis ego residuam non pono, sed eius materiam, substantiam, et corpus.

Simile qd pro se adducunt cõtra ipsos admodum facit.

CHEAD. Assero cõcilia multum per omnem modum curanda, quando statuunt ex verbo dei, veluti à Lateranẽsi, quod citatu factum est. nam ex Euangelio habes transubstantiationem, licet obscure, cum dicitur, Hoc est corpus meum. Dicimus præterea manere accidentia propter infirmitatem nostram. Deinde, quemadmodum ex pane caro nostra fit, accedente digestione, non remanente panis substantia, ita ex elemento, uerbo accedente, fit corpus Christi. MAR. Hoc est nihil dicere, quia non adhuc ostendisti concilium Lateranense ex verbo dei statuisse. Iamq; sæpe obieci, ad-

hoc

hoc, vt elementum fiat sacramentum, necesse esse vt maneat. Et vt ratio nostræ infirmitatis habeatur, tantundem prodest substantia panis, & multo magis, quam accidens. CHEAD. Fateor quod dicit August. Accedit verbum ad elemẽtum, et fit sacramentum, non tamen dicit elementum fieri sacramẽtum. MAR. Expendamus verba. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Quid fit sacramentum? CHEAD. Non elementum, non uerbũ, sed tertium quiddam ex utroq; compositum, diuersum & à uerbo & elemento. MAR. Sacramentum est sacræ rei signum, hoc autem conuenit elemento, ut sit signum. Et omnes fatentur sacramenta fieri ex re & signo: Igitur cum significatio pertineat ad elementum, oportet ut maneat. Tuq; imprudens idem fateris, quando dicis sacramentum non esse elementum, non uerbum, sed quiddam tertium ex his conpositum, quomodo potest ex eo componi: si nõ manet? Et aperte hoc uides in baptismo fieri, ubi aquam elemẽtũ esse non dubitamus, quæ cum significet, manet. CHEAD. Non est necesse, ut elementum maneat in Eucharistia, ut in baptismo: Iam hanc similitudinem negaui, & iterum nego. MAR. Ego induxeram argumentum à definitione sacramenti, quod scilicet est signum, et significandi ratio. cum ptineat ad elementũ, ut maneat oportet, nisi uelis naturã sacramẽti perire. Ad hoc nil respõdes. Cũ q; simile de baptismo iduco, illud ppetuo negas, quasi à nobis in utroq; istorũ sacramentorũ nõ pcipiat Christus: Ibi regeneramur in Chro, hic in ipso eodẽ pascimur, ibi in unũ corpus nimirũ Christi baptizamur, hic uno eius spiritu potamur, ut dicitur ad

A definitione sacramenti probatur manere panis.

Corinth. et in baptismo Christum induimus, vt habetur ad Galat. Sunt itaq; similia hæc duo sacramẽta, Neq; ut similitudo negetur, id facit quod Christus non dixerit, hæc aqua est corpus meum, vt dixit in Eucharistia, hoc est corpus meum, quia huiusmodi verba, ut vera sint, non exigunt, vt natura panis abijciatur, uerũ ea conseruata, est adhuc uerissimũ quod Christus dixit. Quid ergo te cogit, ut panem extrudas? CHEAD. Verbis Christi cogimur, dicit enim Christus, Hoc est corpus meum, & non dicit, hæc aqua est sanguis meus. MAR. Mirum est, cum uos tantum tribuatis potentię diuinę, ut ea dicatis fieri tot ac tanta miracula in transubstãtiatiõe, cur per eam etiam non valeatis, uel non velitis persuadere uobis, manere substantiam panis. Sed ad hoc ut detur corpus Christi, dicitis vos cogi ad panem transubstantiandũ. Hoc etiam erat diaboli cõsiliũ, vt Christus si mãducare vellet, prius lapides in panem conuerteret: Quasi Christus ex dei potentia non valuerit quiduis edere, et ex quacunq; re sustẽtari. Vnde pulchre respõdit: Nõ in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit ex ore dei, ac si diceret, Ex lapidibus quoq; vesci possem, si vellem, et non opus esset, ut eos conuerterem in panẽ. Si ergo ex omni re, per dei potẽtiam ali possumus, cur non etiam cũ vero pane, licebit sumere corpus Christi? CHEAD. Non de potentia agitur, sed de facto, et si enĩ potuerit aliter fieri, attamẽ à Christo sic est institutũ. MAR. Adieci hęc de potẽtia dei, vt ostenderẽ per eã non stare, quin panis manere possit, et tñ corpus Christi dari: nã à vobis illã audio mirifice prędicari, cũ accidẽtia statuitis absq; subiecto,

Dicit se cogi verbis Christi eũ supra in prologo dixe rim nõ posse id probari expresse sacris litteris.

Per dei potentiã statuere nolunt poße manere panem & corpus Christi dari.

et

et putabã, illa eadẽ posse fieri, ut in sacramẽto panis maneat, sicut accidẽtia: Et vt extorqueã à uobis, quę sit necessitas auferendi panẽ, Nã quod abs te dicitur de facto, nõ cõstat, minime enim scriptura testatur, Christũ uoluisse panẽ abire. Quare nõ adhuc liquet uos cogi uerbo dei ad panẽ extrudẽdũ. CHE. Necessitas est ex verbo dei, et satis cõtinetur in scripturis, nimirũ in his verbis, Hoc est corpus meũ: Et, Panis quẽ ego dabo, caro mea est, quã ego dabo p mundi uita. MAR. Hęc duo minime pugnãt, quod corpus Christi sit, & panis, nam cętera etiã sacramẽta seruant elementũ, et rẽ sacramenti habent. Et quia prętexis verbũ dei, Hoc est corpus meũ, ego quoq; sæpius ostendi uerbum dei habere utrumq; , & corpus Christi et panem. Quod si studiosi estis uerbi dei, cur non utrumq; retinetis? CHEAD. Scripturam quidem admitto vtrumq; dicere, sed nego eũ sensum quem tu facis, quippe verbum aliter docet, ideo hic non seruatur panis. Et panem adesse, derogat et maiestati, et potentiæ dei. MAR. Quod uerbum dõceat panem adesse, iam antea è scriptura declaraui, quoniam Iesus accepit panem, Benedixit, fregit, & dedit, quæ omnia ad panem referuntur. Panemq; , si adsit derogare maiestati aut potentiæ Dei, nulla est ratio. CHEADZE. Nego CHRISTVM dedisse panem, sed Corpus dedit. Et id quod demõstrat, antea fuit panis, sed ex consecratione factum est corpus. MARTYR. Scriptura est apertissima, quæ habet Christum non solum accepisse, sed etiam dedisse. Quid accepit Dominus? quid fregit? Quid dedit? nõ potes respondere, Nisi panem, si grãmaticam cõstructionem retineas.

Verbũ dei habet utrumq; qđ sit corpus Christi et panis.

Christus vt benedixit panẽ ita dedit panem.

Non derogat maiestati Christi panem adesse.

CHEAD.

CHEAD. Corpus dedit, et ab euangelista recitatur, factum non aũt modus et ordo faciendi. MAR. Ego nõ diffiteor utrumq; dari, & corpus & panem sed uos vrgeo, qui negetis panem, cum velitis, nolitis, cogat uos grammaticus sensus fateri, quod panẽ dederit. Neq; vox ista corpus refertur ad verba, accepit, benedixit, fregit, dedit, sed ad uerbum, est. Attamen (vt dixi) nõ inficior dari corpus Christi, sed cum scriptura utrumq; habeat, et panem & corpus, utrumq; debetis cõcedere. Sed aliter agamus: Semper hac propositione vtimini, Hoc est corpus meũ, ad probandum, abrjciendum esse panem ex hoc sacramento, at hinc nõ efficitur necessario quod uultis, quandoquidem argumentum sumitis ab ambiguo. Nam si induxerimus multas propositiones cõ similes, quę tropicè tenentur, atq; (ut ita dicam) significatiuè, non poteritis probare hanc nõ esse eiusdem generis. Scribitur ad Corin. Petra autem erat Christus. Et Christus ait apostolus: Nõne ego uos duodecim elegi, et vnus ex uobis diabolus est? Ac de circũcisione, Pactũ meum erit in carne vestra. Et de Ioanne, si uultis eum suscipere, ipse est Helias. Et cum insuflasset in eis, dixit, Accipite spiritum sanctum. Et rursus: Ego sũ uitis, ego sum ostiũ. De Iosepho dixit Iudas: Frater noster, et caro nostra est. Paulus de Christo: Ipse est pax nostra. Et de nobis, Vos estis corpus Christi. Habetur etiã, quod ipse est lapis offensionis, et petra scãdali. Asseritq; Paulus euangelium esse vim dei ad salutem. Et in scripturis dicitur non semel, verba domini esse iustitiam iuditium, & veritatem. Et euangelium, idem apostolus testatur, infidelibus stultitiam esse. Spicę septem

Argumẽtũ sumũt ab ambiguo, cum argumentantur a verbis, Hoc ẽ corpus meũ. Propositiones cõsimiles illi, hoc est corpus meum.

tem in lib. Gen. ſunt anni ſeptem. Et decem fruſta pallij, ſunt decem tribus Iſrael, ut inquit Ahias Silonites. Mulier quoq; defert in capite τὴν ἐξουσίαν, id eſt poteſtatem. Item comedebat ſacerdos peccata populi: Et Chriſtus pro nobis factus eſt peccatū. Agnus uel ſacrificium, eſt paſcha: Et paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Ac infinita alia, quę in ſcripturis habent conſimilē formam, in quorum cenſu cum iſta ſentētia, Hoc eſt corpus meum reponi debeat, & à uobis citetur ſimplici ſenſu, nequaq; concludit, quia innitimini ambiguo. Et cum uos dicitis cogi ex ſacris litteris, aducitis in medium uerbū Dei controuerſum, cuius tamen intelligentia patere poteſt ex aliis locis. CHE. Nego quod nitamur ambiguis. Nemo non concedit multos eſſe tropos in ſcripturis, omnia tamen negamus eſſe tropos. Neq; ualet argumentum, Illic, et illic, tropi ſunt, igitur & hic quoq; eſt tropus. Sed ubicunq; eſt tropus, id circumſtātia loci docet: Hic nulla eſt circūſtantia, quæ hoc demonſtret. Et ſi uerbum, eſt, ubiq; acciperetur pro ſignificat, Chriſtus non eſſet homo uere, niſi per ſignificationem. Cumq; dicitur: Verbum caro factum eſt, interpretaremur ſignificat carnem, nec re ipſa uerbum caro factum eſſet, quodq; habetur Deus erat uerbum, interpretaremur quod ſignificabat uerbum, atq; ita omnia confundentur. Quare cōcludimus nullum hic eſſe tropum. MARTYR. De Chriſto, an ſit deus & homo, clariſſima teſtimonia extant, quibus cogimur ſententias abs te modo inductas, accipere ſimpliciter. Vt autem hic tropum ſtatuamus, adducimur ex uerbis ſcripturæ, natura ſacramenti, & patrum teſtimonijs. Quo ad ſcriptu-

Tribus cauſis tropum hic eſſe dicimus.

ram, illic habetur, Hoc facite in mei memoriam, & memoria non prę̃sentiũ corporaliter, sed absentium rerum est. Additur, Donec ueniam, quod nõ conuenit, si eo per cõsecrationem tum ueniret. Et Paulus dicebat, Panis quem frangimus, nõne cõmunio corporis Christi est? Non autẽ cõuenit corpori Christi vt frangatur, quãdoquidẽ nũc propter eius gloriã est impassibile. Aiit prę̃terea dñs, ut acciperent & ederent, qđ absq; tropo nõ potest intelligi, si ad corpus Christi referas, non enim cõuenit, ut dentibus frangatur atq; cõminuatur, quod fit in uera & propria manducatione. Deinde uos ipsi cogimini tropum admittere, nam uestra sententia non est corpus Christi in Eucharistia, nisi post uerba prolata. Vnde uerbũ, est, propria significatione non potest accipi, dum ipsum profertis: prius enim oportet rẽ esse, quã uere possit de ea aliquid enunciari. Sunt prę̃terea uerba apud Lucam & Paulum, dicta ad calicẽ, in quibus non potestis tropũ euitare, cũ dicitur. Hic calix nouũ testamentũ est: quod nihil est aliud, quã significat nouũ testamentũ. Et in .6. cap. Ioãn, Verba mea sunt spiritus & uita. Caro nõ prodest quicq̃, Et meminit ascensionis suæ. Atq; hæc de scripturis, mox de sacramento & patribus. CHEAD. Respondeo illa uerba, Hoc facite in mei memoriam, & Donec veniam, non arguere tropum. Nõ est bonũ argumentũ. In memoriã alicuius rei quippiã fit, ergo res nõ est, aut nõ manet? Visusq; ẽ Christus potius illis uerbis cõmẽdare actionẽ, quã tunc peragebat corã eis, ut ui mirũ id facerent, quod eũ feciſſe uiderãt. Quodq; addis, Donec ueniã, intelligendũ est humana forma, qua veniet ad iudicandum, quia nõ

A scripturis probatur tropus.

cessabit

cessabit hoc sacrificiū usq; ad cōsumationem sęculi. Et ad ea quę de fractione adiecisti, sic respōdeo, uere corpus Chri fuisse fractū in cruce, quādo lācea latus eius est apertū, et frangitur quotidie spiritualiter in sacramēto, quādo mortē eius ānūciamus. MAR. Nemini dubiū est, Paulū, cū dixit, Panis quē frāgimus nōne cōmunicatio corporis Christi est? significasse illā uisibilē fractionē symbolorū, et sacramēti distributionem, quā in cœna domini fieri uidemus. Et quod ais, memoriam posse esse rei quæ maneat, et sit præsens, falleris, quia natura est memoriæ ut sit rei elapsę, et quæ saltē minime sit præsens, imo pręsentia rei atq; illius memoria habēt inter sese apertā antithesin. Quęro deide abs te, cur ascensionis meminerit, nōne vt à nobis intelligeret nō comedēdus carnaliter. CHE. Ascensionis ideo meminit, qa uerè in cœlū ascēdit, et verè ibi est, nō quasi eius pręsētia nō sit etiā hic uera, haud qdē ut deuoret, sed vt accipiat et comedatur, iuxta eius mādatū. MAR. Certe nō fuisset ad rē, ascēsionis meminisse, nisi uellet notare, se de illo mā ducatiōis genere loqui, cui nō obstat corporalis rei absētia. Sed qd tandē ad locū inductū dicis? Panis quē frāgimus, nōne coīo corporis Chri est? id si referas ad corpus Chri, nō frāgit, hoc enim pani cōpetit, et ad corpus Christi transfert p tropū. CHE. Ita sumēdū ē ibi, panē frāgi, ut eodē loco dicit, Multi sumus vnus panis, nimirū tropice, nā si panis priori loco sumeret p naturali pane, in sequēti loco itē acciperet, et ita nos oēs essemus panis naturalis, et substātia nr̄a esset substātia panis, si uis argumētari à natura panis ī priori pte. MA. Ego tm̄ ostēdere uolui, qd nō potestis defendere nos in coīone frāgere

Ascensionis cur meminerit.

panem, quando illum inde aufertis, et potissimum si accipiatis panem pro corpore Christi tropice, ut ipse quoq; nunc fateris. Nam uis eodem modo sumi vt postea cum dicitur: Multi sumus vnus panis, et tamen allegorico pani, uides non posse conuenire proprie, ut frangatur. Quare ob tuã transubstantiationẽ, cogeris bis ibi tropũ fingere: primo, ut panẽ allegoricum utrobiq; intelligas: alterum ut fractionem figurate accipias, et ita qui auersaris tropos, sẽper in illos incidis. Ego uero in eo loco panem proprie accipio, et cũ dicitur, multi sumus vnus panis, interpretor, quo ad significationem, nõ quo ad substantiam. Vt enim panis est unus, et constat ex multis granis, uel sicut est unus, et fit in multas partes, sic nos et unum sumus, atq; etiam multa membra, et ita panẽ utrobiq; eodem modo sumo. Tropus autẽ est in verbo, sumus. Huc accedit, quod si uis panem accipere qui frangitur, vt postea cum dicitur, multi sumus vnus panis, per tropum cogeris intellige re corpus mysticum, id uero quomodo frangetur? Cumq; sis tam facilis ad tropos, non uideõ, quid te adeo grauet tropum admittere in propositione, quam habemus præ manibus, Hoc est corpus meũ. Verum de secundo. Quomodo abhorretis à tropo, cum sacramentum hic instituatur, & sacramentis tropi sint familiarissimi? CHEAD. Non prorsus hic negamus tropum, quia non est panis quod tractatur, sed panis appellatur, atq; id per tropum, verum in verbis sacramentalibus, uel consecrationis, negamus tropum esse, quia nulla circumstantia hoc docet. MAR. Quomodo in uerbis sacramentalibus potestis negare tropum esse, cum aperte ad calicem

Explicatur locus Pauli.

A natura sacramẽti probatur tropus.

dicatur

dicatur: Hic calix nouũ teſtamentũ eſt: ubi ſi tropũ conceditis, cur abſurdum eſt, ut tropica ſit & altera pars, quæ ad panem dicitur? Et miror te hic nullam circumſtantiam agnoſcere, cum ſuperius multas oſtenderim, quas diſſimulãdo præterijſti. CHEAD. Non ſequitur quod dicis. Nam hic ad calicem circũſtantia nos cogit, ut fateamur tropum, nil vero cogit in altera parte. Deinde quod Lucas et Paulus dixerunt tropice, alij duo Euangeliſtę ſimpliciter dixerũt, videlicet: Hic eſt ſanguis meus. MAR. Non obſtat, quod ais, Matthęũ & Marcũ ſimpliciter protuliſſe: Hic eſt ſanguis meus, quia & illa verba quæ ſunt apud Lucam et Paulum, quomodocumq; poſita ſint, oportet uera eſſe: quod ſi tropus nõ adhibeatur, minime continget. Atq; in priori ſentẽtia tropum eſſe non ſolũ probant ſcripturæ ſanctæ, natura ſacramenti (ut dixi) uerũ et patres itẽ id confeſsi ſunt. Quid tu abhorres tantopere? Tertullianus enim dixit. Hoc eſt corpus meum, id eſt, figura corporis mei. Auguſtinus item in pſalmo 3. ait, Chriſtum dediſſe figuram corporis ſui. Et contra Adimantum Manichæum: Non dubitauit dicere, Hoc eſt corpus meum, cum daret ſignum corporis ſui. Et Hieronymus ait cum Tertuliano, Chriſtum repræſentaſſe corpus ſuum: ac talia teſtimonia ſunt innumera, quæ omnia indicant eos admiſiſſe tropum in uerbis, quæ ad panem dicuntur. CHEADZEVS. Verum eſt, quod Tertullianus & Auguſtinus dicunt figuram eſſe, ſed rem ipſam non excludunt, ita ut idem ſit figura, & figuratum. Quemadmodum ad Hebręos: Filius eſt imago ſubſtantiæ patris, & tamen eſt idem, quod

Ex patribus probatur tropus.

Diuertit ab argumento q̃ erat. Patres ĩ uerbis quæ dicuntur ad panem agnoſcere tropum.

ſubſtantia patris. Quod ſi ibi dixeris, eſt figura ſubſtantię patris, ergo non eſt ſubſtantia patris, aperte uides argumentum non tenere ſic in præſentia dicere, eſt figura corporis Chriſti, igitur non eſt corpus Chriſti, haud ſequitur. MAR. Quam id ſequatur, aut non ſequatur, nunc minime diſputamus, ſed tātum id contenditur, patres in ea loquutione, Hoc eſt corpus meum, tropum agnouiſſe, quod indicant eorum verba, quando figuram & repreſentationem ſubinde inculcant. Et de doctrina Chriſtiana, ac alibi, apertiſsime, teſtatus eſt Auguſtinus, loquutionem de manducatione corporis Chriſti, figuratam eſſe, quod ergo tu negas, ille diſertiſsime aſſerit: & quod inducis idem eſſe figuram & figuratum, aliud eſt ab inſtituto propoſito, nec tamen id facile probabis. Vnde ad locum in epiſt. ad Heb. quod filius appelletur figura ſubſtantiæ patris, Dico Paulum illic de filio agere, quatenus homo eſt, & hoc pacto figura eſt, & non ſubſtantia patris. Per antonomaſiam quippe habet, ut ſit imago patris, & ei nobilius id conuenit, quam cæteris hominibus. Verba epiſtolæ, ſic habent. Multifariam, & multis modis, loquutus eſt olim Deus patribus in prophetis, Nouiſsime autem loquutus eſt ī filio. Quod ſi filium intelligas quo ad diuinitatem, tam bene per illū eſt loquutus Deus per prophetas in ueteri teſtamento, quam noſtris temporibus loquutus ſit nobis: in hoc autem diſcrimen eſt, quod nunc per humanitatem id fecit, quod antiquitus non eſt præſtitum. Attamen ſi contenderis omnino iſtam loquutionem de perſona diuina intelligendam, adhuc non conſequetur, idem eſſe figuram & figuratum

An idem ſit figura & figuratum.

Excutitur locus ad Hebræos.

tum, nam habent uerba græca χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, & quod noſter interpres abſolute dixit ſubſtantiam, græce eſt ὑποστάσεως. Cumq; perſona filij non ſit perſona patris, optime poteſt filius etiam quoad diuinitatem, dici figura hypoſtaſeos patris, neq; propterea ſequitur, idem eſſe figuram & figuratum, nam inter perſonas eſt (ut loquuntur) realis diſtinctio. CHEAD. Reſpondeo illud in ſcripturis commune eſſe, ut idem aſcribatur humanitati, quod eſt diuinitatis, & è cõtra: Vt, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. cum tamen filius hominis non deſcenderit de cœlo. Et Paulus: Nunquam Dominũ gloriæ crucifixiſſent. igitur Chriſtus & ſecundum humanitatem, & ſecundum diuinitatem, dicitur imago ſubſtantiæ patris. Nam ſi hoc ei conuenit per unam naturã, poteſt ei attribui ſecundũ alterã, per cõmunicationẽ idiomatũ. Huc accedit, quod Chr̃s quatenus nudus homo, nõ poteſt dici imago ſubſtãtiæ patris, nã tũ & ego et oĩes aliæ creaturę diceremur, imagines ſubſtãtię pr̃is, igitur ſecũdũ qđ Chr̃s eſt figura, & figuratũ dicit. Et ad Tertul. reſpõdeo, eũ in Martionẽ ſcribere, qui ponebat Chr̃i corpus eſſe phãtaſticũ, fatebat autẽ ĩ Chr̃o figurã corporis humani, ũde Tertul. arguebat ex cõceſſis à Martiõe. Argumẽtũ ſic ĩducebat, Quod eſt phãtaſticũ, nõ habet figurã, ut cõcedebat Martiõ, ergo Chriſtus uerũ corpus habuit, et nõ phãtaſticũ. Fuitq; iſte ſcopus Tertuliani, et ex neceſsitate ſic arguebat, ut cõfũderet hęreticum, et erat uiolẽta collectio. Vnde hic in ſũma eſt ſenſus Tertul. Chriſto figuratũ & phãtaſti cũ corp' attribuebat, et in ſacramẽto tñ nõ negabat

eſſe

esse corpus Christi, id est figuram corporis, hinc arguit figuram non esse corporis, nisi etiam uerũ corpus extaret, quia non est figura nisi ueritatis. MAR. Quo ad primum, ego nunc̃ negaui communicationem proprietatũ in duabus Christi naturis, per quã concedo id quod dicitur de vna, & alteri posse attribui: sed tamen dico esse diligenter excutiendũ, quãdo tales communicationes occurrunt, quo ad quam naturam id dicatur, quod audimus pronunciari, vt in vtroq; tuo exemplo apparet. Cum enim filius hominis dicitur è cœlo descendisse, loquutionem recipimus, verum secundum diuinitatem id concedendum esse confitemur. Et dominum gloriæ crucifixum fatemur, testamur attamen hoc illi dari propter humanitatem: Ita ego in illo loco ad Heb. concedo Christum imaginem esse substantiæ patris, sed pro vt res ibi tractatur, asserebam iuxta humanitatem id esse dictum: quoniã ante redemptionem deus loquutus erat patribus in diuinitate Christi, nouissimis autem temporibus loquutus est per filium, videlicet humanitate indutum. Quod etiam si omnino velles hoc diuinitatem respicere, relegaui te ad textum græcum, ex quo poteras commode intelligere discrimen inter figuram & figuratum. Quod uero adijcis, tunc illum non magis quam me aut aliã creaturam fore ad imaginem Dei: nego consequutionem, quia sicut inter omnes homines est excellẽtissimus, ita etiam inter eos est præcipua imago Dei. Neq; dixi hoc illi conuenire, qua purus homo, quis enim non uidet humanitati Christi non conuenire tantam excellentiam, quãtam eam uidemus habere, nisi quia diuiuitatem habet coniunctam? Quo

Cõmunicatio idiomatum admittenda, sed in ea distinguẽdũ est quo ad intelligentiam.

ad

ad Tertul. Agnosco quod dicis eum ibi argumentari contra Martionem, sed non eo pacto, uti tu recitas argumentum. Agit enim cum illo ex manifestis, & publice confessis, in quibus etiam non audebat hæreticus à communi sensu ecclesiæ desciscere, nimirum quod hoc sacramẽtum esset figura corporis Christi. Et arguit: Rei phantasticę non est figura, nam figura rem ueram significat, sed hoc sacramentum est figura corporis Christi, ergo corpus Christi non est res phantastica, quandoquidẽ habet hoc sacramentum pro sua figura. Et tu nosce debes, ad hoc, ut figura non sit inanis, requiri, ut aliquid ueri repręsentet. Hic facilis & lucidus est intellectus uerborum Tertuliani: quod uero tu affers, collectionem esse uiolentam, & huiusmodi aliena sunt. Et si ita uoluisset argumẽtari Tertulianus, nõ oportebat eucharistiam producere: satis ex uerbis Martionis cõficere potuit, qđ uolebat, dicendo: Cũ tu fatearis id quod gestauit Christus, figurã esse & phantasma corporis. Et figura non possit esse, nisi rei alicuius quæ uere extet, hinc efficitur esse uerum corpus, quod Christus assumpsit. Quare mentio eucharistiæ superflua esset, sed iuxta meam sententiam, perspicue concluditur: Eucharistia (ut omnes fatentur) est figura corporis Christi, igitur corpus Christi est uerum, alioquin figuram non haberet.

Declaratio Tertulliani.

CHEADZEVS. Respondeo ut supra. Primum, quod Christus quatenus purus homo, non magis potest dici imago substantiæ patris, quam aliæ creaturæ. Et quo ad communicationem naturarum, idem CHRISTVS est & figura & figuratum. Et ad Tertulianum rursus dico, figura est, sed non

Eucharistia est signum rei quæ substãtialiter corporaliter et realiter abest

Locus Ambrosij de similitudine mortis & sanguinis.

tantum, uerum etiam ipsa res, uerba Christi necessario cogunt. MAR. Dico hic nullam esse coactionem à uerbo Dei, quin debeat utrumq; dari, & panem esse & corpus Christi. Nunc autem docebo, quia tu dicis non esse figuram tantum, sed rem simul, sacramentum hoc esse signum rei, quæ secundum præsẽtiam substantialem ac realem abest. Ambros. lib. 4. de sacrament. cap. 4. Sicuti similitudinem mortis sumpsisti, ita similitudinem pręcioſi sanguinis bibis. Nullus autem dubitat, mortem Christi non esse præsentem realiter in hoc sacramento, & tamen dicitur ita bibi similitudo sangninis, ut similitudo mortis. CHEAD. Gaudeo te tantum tribuere Ambrosio, ille totus mecum facit, ut constat ex illis libris De sacramẽtis, & ex isto ipso capite, & his uerbis quæ tu citas. Statim enim subiũgit: propter horrorem cruoris, datam esse hãc similitudinem. Quod si antecedentia & sequentia expendantur, uidebitur longe aliud uelle, quam tu profers. Hic enim scopus est Ambrosij, ut doceat in Eucharistia repræsentari mortem Christi, ut sicut credis Christũ pro te mortuum, sic eius sanguine peccata tua lauari credas. De substãtia autem symbolorũ manente, nulla est mentio. MAR. Iactas Ambrosiũ totũ esse tuum, hoc postea cognoscã in obiectiõibus quas mihi facies. Sed qđ attinet ad hũc locũ, apertissime dicit: qđ sicut illa est similitudo mortis, ita hęc est similitudo sanguinis. Et hinc satis habes manere substãtiã panis, quando res quę significatur, substãtialiter & realiter est absens: Sicuti mortẽ Christi scimus non esse præsentem quando cõmunicamus, nisi annunciando et commemorando illam. CHEAD. At non dicit similitudinem esse tantũ, nam alijs locis, apertis

verbis docet, naturalē mutationem panis & uini.
MAR. Nihil moror particulā tantum, siue exprimatur siue non exprimatur, quia rem denotari absentem in similitudine inducta, satis aperte continetur. Et dabitur tempus, ut istam mutationem positam ab Ambrosio, excutiamus, cum descendero ad respondendum tuis obiectionibus. Attamen ut intelligas, quam aperte agnoscant patres tropum in isto loco, citare uisum est Augustin. cōtra Adimant. Manichęum: Non dubitauit Christus dicere, Hoc est corpus meum, cū daret signū corporis sui. CHE. Agnosco hæc uerba esse Augustini, & docebo qua ratione inductus ista scripserit. Manichæi omnes inimici fuerunt ueteris Testamenti. Et cū legamus in Deuteronomio, Anima est sanguis, hoc dictum Adimantus comuellebat, quasi pugnans cum nouo Testamento, opponebatq; ei. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Aiebat Adimantus, Quoties funditur sanguis & conculcatur, toties anima patitur has iniurias, si est sanguis: quare nō recte diceretur, quod animam homines non possent ledere? Augustin. respōdet duplici ratione. Prima, Sanguinem in Deuteronomio appellari non animam hominis, uerum pecoris. Secundo ait: Quid si etiam dicam hoc intelligendum esse secundū certū loquēdi modū, et de anima humana, quēadmodū Chr̄s nō dubitauit dicere, Hoc est corpus meū, cū daret signū corporis sui? Et hoc uolebat, qđ quēadmodū latētur ī hoc signo est reale corpus Chr̄i, ita insanguine est aīa: et ut sanguis est signum animæ in se latentis, ita species est signum corporis, & hoc signum propter præsentiā

Redeo ad statū quæstionis ut probē tropum ex patribus. Augustinus ait Christum dedisse signum corporis sui.

latentem, uocatur corpus Christi. MART. Non habet hæc Augustinus quod corpus Christi, scilicet, latenter sit in speciebus panis & uini, tu hæc affingis: supra contendebas idem esse signum et signatū, figuram et figuratum: Nunc, dices ne, sanguinem idem esse cum anima? Certe uelis nolis sunt duæ substantiæ, nec una ab altera tollitur, ut uos hic de pane fieri statuitis. Deinde sanguis, quando est signum animæ in corpore manentis, oportet ut uideatur, sitq; extra corpus animantis, & tunc ibi non latitat anima. Et de illo debet sermo fieri, de quo scriptura prohibebat, ne ederetur, is autem erat separatus à corpore, non enim aliter comedi poterat, quod tum in lege prohibebatur, cū ista dicerentur: Sed de hoc quicquid sit, nunc mittamus. Id saltem habeo, quod concludam, signum non esse signatum, neq; figurā figuratum, in hoc sacramento, quod supra tam uehementer contendebas. Et enim sanguis, qui signum ponitur animæ, nūquid est anima? Ita et quod Christus dabat, cum hoc pacto dicat Augustinus fuisse signū corporis domini, tam est corpus domini, quam sanguis est anima. CHEADZEVS. Respondeo, Similitudinem non eo tendere, sed vt doceat, quod quemadmodum latenter est anima in sanguine, ita latenter est corpus CHRISTI in speciebus panis et uini, & ipse contextus eò tendit. Nam ut in hoc uisibili continetur corpus Christi, ita in illo uisibili continetur anima, non autē per omnia quadrant similia. MAR. Mihi maxime videtur eò spectare quo dicebam, ut asserat: Quēadmodū illic sanguis est anima, ita hic panis est corpus, nunc̄q; latens uel non latens dixit Augustinus. hæc post abs te assuta

Euincitur signū non esse signatum, sicuti sanguis non est anima.

sunt

sunt: Is uoluit ostendere, phrasim esse scripturę, qua liquid esse dicatur illud, cuius fuerit signum, tam et si ab eo sit res distincta atq; diuersa. CHEAD. Etiam si non dicat August. eò tamē tendit similitudo, corpus enim ita est latenter in signo, quemadmodum anima in sanguine. MAR. Hic ego non uideo eum aliud attingere, quam hanc esse phrasim, et loquutionem scripturæ, qua nomē signati signo tribuitur.

Iusserunt domini Legati, ut ageretur in secunda quæstione.

An corpus Christi substantialiter et carnaliter sit in pane & uino, uel sub accidentibus panis & uini.

MARTYR. Christus accepit panem, Benedixit, fregit, & dedit discipulis suis, dicēs, Hoc est corpus meum. Ex te quæro, utrum corpus illud passibile fuerit, uel impassibile? Passibile non erat, nam, August. super psal. 98. habet: Non hoc corpus quod uidetis, estis manducaturi, neq; sanguinem quem illi effusuri sunt, bibetis, neq; etiam conuenit aut fieri potest, vt corpus nostræ conditionis atq; passibile conjiciatur in tantillum panē. Quod si dixeris corpus datum fuisse impassibile, primum id non facile admittetur, cum ipse Christus tunc non habuerit corpus impassibile. Deinde verba Euangelistæ se opponunt: dicitur enim, Comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Constat autem passibile fuisse illud corpus, in quo Christus tradebatur. Neq; admitti debet idem corpus pro eodē

An corpus Christi datū in cœna, fuerit passibile aut impassibile.

tempore, fuisse passibile et non passibile, quando-quidem ista contradictorie opponuntur. Igitur non dedit substãtialiter et realiter corpus suũ, non enim potuisset absq; altera istarum conditionum tradi.

Vere opposita nõ possint esse simul in eodem subiecto.

CHEAD. Respondeo corpus illud sub specie panis erat impassibibile. Et concedimus eodem tempore, respectu tamen diuerso, et passibile fuisse & impassibile. Nam hęc accidentia sunt, quæ diuerso respectu simul adesse et abesse possunt. Contraria uero et opposita requirunt eundem respectum.

MAR. Accidentia hæc esse non dubito, cæterum quod contraria siue contradictoria pro eodem subiecto, et eodem tempore, simul affirmari possint, absurdum esse statuo. Quod uero tu ais diuerso respectu, nihil te iuuat. Nam in relatiuis hoc poset aliquid esse, puta quod idem valeat simul dextrum & sinistrum dici, magnum et paruum: si comparetur ad diuersa, est verum. At nos agimus in præsentia de qualitatibus absoluris, uidelicet de statu & conditione corporis Christi, an sit passibile, vel impassibile, et ista duo simul, et pro eodem tempore fuisse negauimus, propter rerum pugnantiam. Et uerba Euangelistæ contrahunt ad statum passibilem, nã statim subditur, Quod pro uobis tradetur.

Accepit relatiuum q. pro substãtia.

CHE. Relatiuũ, Quod, notat substantiã, quod non sit alia substantia sub speciebus panis et uini, q̃ illa quę pro uobis tradetur, non autem qualitatem, passibilem, in quã uel impassibilẽ. MAR. Sed cum hic uelis relatiuum quod, substantiam referre, ita vt sit sensus, hoc Corpus quod accipitis, substantia quidem est, idem cum eo quod pro vobis tradetur, conditione autem vel qualitate non conuenit. Hac tua expositi-

positione admissa, quæro ex te, quomodo mihi interpretaberis inductam Augustini sententiam, Non hoc corpus quod uidetis comesturi estis? Accipiatur hic quoq; relatiuum, quod, ut substantiam referat, ueluti contendis faciendum apud Euangelistam, et uidebis quid sequetur, nimirum substantialiter nos CHRISTVM non comedere. Vel si volueris apud Augustinum, Quod, referre qualitatem, patiaris & me ita pro qualitate uerba Euangelistæ intelligere, & quod tibi permittis, mihi negare non debes. CHEAD. Apud August. Relatiuum, quod, qualitatem denotat, non substantiam, atque id respondere cogimur, quia is loquitur de corpore quod videbant, non autem uidentur nisi accidentia, ipsa quippe substantia non uidetur. Deinde quæ August. dicit, spiritualiter intelligenda sunt, non carnaliter quemadmodum Capernaitæ, qui putarunt carnem Christi comedendam, ueluti si ex macello empta fuisset. Et est ac si diceretur, Non comedetis in humana specie, uerum sub alia forma, nimirum panis communis, ne horreatis carnes. MARTYR. Multa audiui, neque tot interrogaueram. Quæstio erat, de hoc relatiuo (Quod) nam vis ipsum pro tuo arbitrio accipere, modo vt substantiam referat, modo qualitatem. In Euangelista applicas ad substantiam: In August. refers ad qualitatem, idque facis pro commodo tuo, atq; tantum ea de causa, vt eludas argumenta. CHEADZEVS. In August. idcirco uariaui quia uoces sumendæ sunt, quemadmodum à doctoribus proponuntur. Cumq; August. dixerit, non hoc Corpus, quod videtis

Modo relatiuũ qd accipit quasi referat qualitatem

tis, ô Capernaitæ comesturi estis, necessario ad accidentia & qualitatem confugio, quę referatur: quia ista uidetur, non autem substantia. MART. Non te iuuat hæc stropha: quia sequitur in Augustino. Neq; bibituri estis sanguinem quem fusuri sũt, qui me crucifigent. Hic iã non loquitur de sanguine uidendo, sed effundendo: et nemo dubitat substantiam ipsam sanguinis effusam fuisse, non tantum accidentia. Quare vt quod relatiuũ substantiæ referat qualitatem, non habes rationem, nisi quia libet.

Ex uerbis Augustini probatur particulâ, Quod accipiẽdam prõ substantia.

CHEAD. Sensus Augustini fuit: Sanguinem meum non bibetis sub ea specie & forma, qua illum effundebant Iudæi, uerum sub specie uini in sacramẽto. MART. Tu sic interpretaris, & interim nihil respondes, de licentia qua abuteris in his relatiuis permutandis ad tuum commodum. Sed ad caput argumenti redeo, quo dicebam idẽ Christi corpus, nõ suscipere pro eodem tempore tam oppositas qualitates, ut est passibile, & impassibile, confugiebas ad diuersos respectus. At quam id prosit in ista causa de corpore Christi, audi Vigilium lib. 4. contra Eutychen: Quoniam una natura contrarium quid, aut diuersum non recipit in se ipsa. Diuersum est autem, & longe dissimile, circumscribi loco, & ubiq; esse: quia uerbum ubiq; est, caro autem eius ubiq; non est. Vides itaq; hunc eruditissimum patrem negare, quod eidem naturæ conuenire possit, circumscribi loco, & non circumscribi. Vnde unum istorum tribui uult diuinitati, alterum uero humanitati, eo quod natura humana utriusq; nõ sit capax. Quod si locus esset suffugio tuo de diuersis respectibus, ab eo inutiliter diceretur. Nam obijceret quispiam illi.

illi. Natura humana Christi, uno respectu est circũscripta, vt uos dicitis, qua est in seipsa, ut uero in eucharistia, est incircũscripta. Sed quia circumscriptum & incircumscriptum, quemadmodum passibile et impassibile, sunt absolutę qualitates, ideo quocunq; respectu agas, idem corpus nõ potest utramq; simul, & eodem tempore conditionem subire.

CHEAD. Non concedo corpus Christi esse in diuersis locis localiter, sed dico esse ĩ diuersis locis p accidẽs, quia scilicet species, in quibus cõtinetur, sunt in diuersis locis. MAR. Hoc à me non agebatur ex Vigilio citato, vt nũc quęreremus, an corpus Christi simul sit in diuersis locis, sed tantum ut ostenderem eum confirmare, quod astruxerã, unã eãdemq; naturã simul eodẽq; tempore susci pere contraria esse impossibile: neq; id adiuuare quod dicebas, id fieri diuerso respectu, quando illę contrarietates absolutæ sunt, neq; tractatur de relatiuis, sed natura in se ipsa consideratur. Attamen quia tu inde recedis, & mihi proponis te statuere corpus Christi simul esse in diuersis locis, atq; id nõ localiter, sed per accidens, quia species cõtinẽtur diuersis locis. Huc quoq; ad te descendo, & aio hac tua distinctione, uestram causam non releuari: Nam corpus Christi neq; localiter, neq; non localiter, potest esse in multis locis, quandoquidem creatura est, & res definita, & audiuisti à grauissimis testibus, nulli creaturæ dari, imo neq; angelis, ut sint in multis locis simul, qui tamen in loco non sunt localiter, carent enim corporea mole. Deinde adfers noua & inaudita, cum in prophanis, tum in sacris literis, quod corpus in aliquo loco sit & non localiter, hoc

Dicunt corpus nõ esse quãtũ in Eucharistia.

Fures & sacrilegi.

enim est dicere, corpus et non corpus. CHEAD. Hęc ideo accidunt, quia Christus in sacramento nõ habet corpus quantum. MARTYR. Hoc illud est quod expectabam, ut rei perageremini, non solum furti, sed etiam sacrilegij: pani surripitis iniuste suã substantiam, et nunc corpus Christi sua quantitate expoliatis. CHEAD. Non solum corpus Christi, uerum etiam corpora nostra post resurrectionem glorificabuntur, eruntq; immortalia, & sine quantitate. MAR. Non possum satis mirari, quomodo hæc dicatis. Nonne uidetis quod auferendo quantitatem ab humano corpore, ipsum tollitis? est enim organicum, cum sit animatum, oportetq; ut multa membra et partes habeat, quæ sine mole et quantitate consistere nõ possunt. Vnde bene consequitur, quantitate sublata ab humano corpore, ipsum etiam extingui. CHEAD. Nego argumentum. MAR. Vbi ergo collocatis verum Christi Corpus cum sua quantitate? CHEADZEVS. Est in cœlo, ut in loco. MAR. Igitur non ponitis uerum Christi corpus in sacramento. Nam si est illic absq; quantitate, substantia quidem esse posset, uerum non humanum corpus, nam id est diuersarum partium, atq; organicum, quę semota quantitate, locum non habent. CHEADZEVS. In sacramento uerum corpus Christi ponimus, sed non, quantum, nec vt in loco. MAR. Si caret loco & quantitate, quando est sub uestris speciebus, tunc erit substantia spiritu alis, quia corporea substantia, et incorporea, distinguuntur mole, quanto, & non quanto. Neq; spiritus dimensiones habent, ut corpora, quod Christus confirmauit, cum diceret: Spiritus carnem & ossa

ossa non habet. CHEAD. Admitto corpus Christi esse quid spirituale, quia sensus de eo non iudicat, sicuti potest iudicare de cæteris corporibus quantis. MAR. Hic non ago de corpore Christi, pro ut sensu percipitur, uel non percipitur, neque de captu nostro, sed loquor de eo, vt est in seipso. Et affirmabam, oportere quantum esse, moiemq; habere, alioquin esset substantia incorporea, et prorsus reponeretur in genere spirituum. CHEAD. Tractamus hic de præsentia corporis Christi in sacramento, quam ponimus quo ad rem ipsam et eius substantiam, non autem curamus de accidentibus corporis CHRISTI, id est, de quantitate & dimensionibus, an adsint vel non adsint. Et quo ad argumentum tuum, dico inualidum esse. Non enim sequitur, Hoc Corpus non est sub ijsdem qualitatibus, & quantitatibus, ergo non est idem Corpus. Et CHRISTVS modo in cœlo non habet easdem qualitates, quas hic habuit, ergo non habet idem Corpus: non ualet argumentum. Si enim omnes illæ qualitates quæ erant in corpore CHRISTI, requirerentur nunc in sacramento, ad hoc, ut idem esset Corpus, sequeretur nunc non esse in cœlo eundem CHRISTVM qui crucifixus erat. Nam modo ei non insunt hę qualitates, quas habuit in cruce, ubi effudit sanguinem, & passibilis erat. Mutatus est itaque modus eius, ille autem semper idem manet. MARTYR. Deus bone, hic tu omnia uarias, et tempora, et accidentia, de quibus agimus. Quis enim hic negauit Corpus Christi, successiue esse posse sub diuersis qualitatibus, nec requiri, ut semper easdem

Dicunt corpus nõ esse quãtũ in Eucharistia.

Fures & sacrilegi.

enim est dicere, corpus et non corpus. CHEAD. Hęc ideo accidunt, quia Christus in sacramento nõ habet corpus quantum. MARTYR. Hoc illud est quod expectabam, ut rei perageremini, non solum furti, sed etiam sacrilegij: pani surripitis iniuste suã substantiam, et nunc corpus Christi sua quantitate expoliatis. CHEAD. Non solum corpus Christi, uerum etiam corpora nostra post resurrectionem glorificabuntur, eruntq; immortalia, & sine quantitate. MAR. Non possum satis mirari, quomodo hæc dicatis. Nonne uidetis quod auferendo quantitatem ab humano corpore, ipsum tollitis? est enim organicum, cum sit animatum, oportetq; ut multa membra et partes habeat, quæ sine mole et quantitate consistere nõ possunt. Vnde bene consequitur, quantitate sublata ab humano corpore, ipsum etiam extingui. CHEAD. Nego argumentum. MAR. Vbi ergo collocatis verum Christi Corpus cum sua quantitate? CHEADZEVS. Est in cœlo, ut in loco. MAR. Igitur non ponitis uerum Christi corpus in sacramento. Nam si est illic absq; quantitate, substantia quidem esse posset, uerum non humanum corpus, nam id est diuersarum partium, atq; organicum, quę semota quantitate, locum non habent. CHEADZEVS. In sacramento uerum corpus Christi ponimus, sed non, quantum, nec vt in loco. MAR. Si caret loco & quantitate, quando est sub uestris speciebus, tunc erit substantia spiritualis, quia corporea substantia, et incorporea, distinguuntur mole, quanto, & non quanto. Neq; spiritus dimensiones habent, ut corpora, quod Christus confirmauit, cum diceret: Spiritus carnem & ossa

ossa non habet. CHEAD. Admitto corpus Christi esse quid spirituale, quia sensus de eo non iudicat, sicuti potest iudicare de cæteris corporibus quantis. MAR. Hic non ago de corpore Christi, prout sensu percipitur, uel non percipitur, neque de captu nostro, sed loquor de eo, vt est in seipso. Et affirmabam, oportere quantum esse, moiemq; habere, alioquin esset substantia incorporea, et prorsus reponeretur in genere spirituum. CHEAD. Tractamus hic de præsentia corporis Christi in sacramento, quam ponimus quo ad rem ipsam et eius substantiam, non autem curamus de accidentibus corporis CHRISTI, id est, de' quantitate & dimensionibus, an adsint vel non adsint. Et quo ad argumentum tuum, dico inualidum esse. Non enim sequitur, Hoc Corpus non est sub ijsdem qualitatibus, & quantitatibus, ergo non est idem Corpus. Et CHRISTVS modo in cœlo non habet easdem qualitates, quas hic habuit, ergo non habet idem Corpus: non ualet argumentum. Si enim omnes illæ qualitates quæ erant in corpore CHRISTI, requirerentur nunc in sacramento, ad hoc, ut idem esset Corpus, sequeretur nunc non esse in cœlo eundem CHRISTVM qui crucifixus erat. Nam modo ei non insunt hę qualitates, quas habuit in cruce, ubi effudit sanguinem, & passibilis erat. Mutatus est itaque modus eius, ille autem semper idem manet. MARTYR. Deus bone, hic tu omnia uarias, et tempora, et accidentia, de quibus agimus. Quis enim hic negauit Corpus Christi, successiue esse posse sub diuersis qualitatibus, nec requiri, ut semper easdem

habeat? Quis neſciat eum modo habere alias qualitates, quam habuerit in cruce? Quod ſupra contendebatur, id erat: non poſſe ſimul & eodem tempore paſsibile & impaſsibile, mortale et immortale, corpus exiſtere, & modo cũ agatur de mole et quantitate corporis, neſcio quomodo ſis ad qualitates delapſus. Tu reſponderas, ideò corpus Chriſti poſſe adeſſe non localiter, eo quod non eſſet in Euchariſtia quantum, aduerſus quam ſententiam, argumentum meum erat, corpus phyſicum et organicũ, quale oportet humanum eſſe, auferri et omnino perdi, ſi dematur ei quantitas. Ad hoc nihil eſt reſpõſum. CHEAD. De qualitatibus, quas ego dico nõ oportere eaſdem eſſe in corpore Chriſti, vt idem ſit: uerum eſt, quòd muto tempora, ſed tu mutas etiam modum, et perinde eſt de modo atq; tempore: vnde ſi ego pecco mutando tempora, tu item peccas tuo argumento, mutando modum. MAR. Ex his quæ dicis, nulla ad argumentum elicitur ſolutio: nam vt loqueris, ſtatuis eodem tempore Chriſtum in cœlo eſſe cum quantitate circumſcriptum, et in loco. In ſacramento autem non circumſcriptum, ſine quantitate, & abſq; loco, et tam contraria in eadem natura Vigilius docuit non poſſe recipi. Quod ſi uarius modus (ut tu aſſeris) facit poſsibile, vt in natura eadem recipiantur, ſimul & eodẽ tempore tam diuerſa, iam uicit Eutyches, neq; Vigilius aduerſus illũ cõcludit: dicet enim corpus Chriſti quo ad ſeipſum, circumſcriptum eſſe, qua uero trãſit in diuinitatem, eſſe incircumſcriptũ, quoad ſuam naturam eſſe finitum, ut in diuinitatem tranſit, infinitum. Et ſic aduerſus illum fruſtra Vigilius laborabit. CHE. Imo hoc do-

docuit; quod ego dixi, tantum plura loca negat corpori eodem modo sumpto: et profecto corpus aliud est in substantia, aliud in quantitate: Quod si quis te roget, an Quantum, sit de natura substãtiæ, opinor negabis. MAR. Non uelim haberi tam rudis, quasi prædicamenta non norim, scio quantitatem posteriorem esse substantia, non tamen sequitur, ut quę metaphysica ratione sunt à se inuicem discreta, possint, quo ad existentiã, in natura à se inuicem separari. Quare adhuc perstat argumentũ in suo robore. Corpus animatũ quod habet organa & mẽbra, quę naturæ animatę cõueniant, non posse existere sine quantitate, et certo loco. Quod si uos nunc alium modum (ut loqueris) obtruditis, figmentum est à uobis repertũ, ut hoc argumentorũ genus eludatis. CHE. Verũ est de corpore Christi in cœlo, qnod sine quantitate atq; suis organis esse non possit, non tamen in sacramento idem concedo, ubi nihilominus unum est secundum substantiam cum eo quod est in cœlo. MAR. Ista sunt, quæ attuli tam aperta, ut amplius circa ea me laborare nõ oporteat, nisi tu noui aliquid adferas.

Hic interposuit quædam argumenta Doctor Carteronitus, rogauitq;, ut id sibi liceret, quod & D. Cancellarius permisit.

CARTERO. Ne in tedicatur clarissime doctor quod ait de Christo scriptura, Torcular calcaui solus. ad ornatum huius scholæ, partem laboris decreui subire. Si esset transubstantiatio, mali quoq; sumerent corpus Christi: non autem sumunt, ergo non datur transubstantiatio. CHEAD. Nego minorem. *An mali sumãt corpus Christi.*

rem. CAR. Ex sexto Ioan. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, sed mali in Christo non manent, igitur non manducant corpus Christi. Et August. in hunc locum ait: Hoc est manducare Christum, illum manentem in se habere. unde patet, cum mali Christum non habeant in se manentem, eum non manducare. Et Paulus 2. ad Cor. Qui manducat panem hunc, & bibit calicem Domini indigne, iuditium sibi manducat et bibit. Ecce illos dicit panem manducare, nō corpus Christi. CHEAD. Ad uerba Ioannis dico, ea intelligi de his, qui digne manducant, tunc enim uerum est, Qui manducat carnem meam & bibit sāguinem meum, in me manet, & ego in eo. August. autem loquitur de effectu sacramenti. Et Iohannes nō intelligit, quisquis manducat, sed quicunq; quo modo debet manducat, in me manet, & ego in eo. Et tales loquutiones reperiuntur in scripturis. Nam apud Iohānem, Interrogauerūt discipuli Christum: Quis peccauit, hic an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondet Christus, neq; hic peccauit, neq; parentes eius. Quod sanè est contrahendum, non enim negat simpliciter peccasse, sed negat propter eorum peccata, hunc factum esse cæcum. ita hoc in loco Ioannes: Qui manducat meam carnem, & bibit meū sanguinem, manet in me, & ego in eo, accipit de illis, qui dignè manducant. Et Aug. nō negat malos manducare, sed tamen docet effectum, uerę & dignæ manducationis. Et locus à Paulo citatus expressis uerbis, & dignæ, & indignæ manducationis meminit. CAR. Negare substantiā panis manere, est negare sacramētum, nā sacramentū est

sacræ

ſacræ rei ſignū. CHE. Dico manere ſignū, ſpecies inquā panis et uini, quę repręſentant ęque ſignata, ac ſi maneret eorū ſubſtantia, nā ſignificāt nos unū eſſe in Chriſto, et ab eo ſpiritualiter nutriri. CAR. Imo ſimilitudo inter ſignū & ſignatum hęc eſt, qđ quēadmodū panis nutrit corpus, ita caro Chri nos nutrit. Quid uero ad hoc faciunt ueſtra accidētia: ut rotunditas, color, & alia huiuſmodi.

In ſecunda quæſtione.

CAR. Quoniā nō eſt animus impedimēto eſſe huic uenerabili uiro, quo minus īſtitutū perſequatur, breuiter ut in prima quęſtiōe, tecū agā et in ſecūda, in qua probabo, realiter corpus Chri in ſacramēto nō eſſe. Chrs dicebat, Expedit uobis ut ego uadā: Nā ſi māſiſſet, fuiſſet impedimēto (ut ipſe ait) quo minus ad eos ueniret ſpiritus ſāctus, quia nimis afficiebant circa eius carnalē pręſentiā. Quare eodē modo, ſi diceretur in altari ſubſtātialiter pręſēs adeſſe, impediretur populus, quo minus attollerēt animos et oculos in cœlū, ac ſpiritū, et eius dona cōſequerēt. CHE Nego eā quam ponimus pręſentiā, populo eſſe impedimēto. Illa ſane fuiſſet impedimēto, qua cū Apoſtolis uerſabatur. CAR. Hoc impedimentū ſatis eſt euidens, nam homines credentes iſtam realem pręſētiam, dicunt, audita miſſa, hodie uidi Dominū meū, et hanc putāt ſummā pietatis, et ſic auocātur à ſeria & uera manducatiōe. CHEAD. Si offenditur aut leditur populus, error illorū eſt corrigēdus, et populū doceri oportet. Nam ſi oia quę populo ſcandalo ſunt, auferri deberēt, eſſet tollendum Euangelium, in quo multi ſcandalizantur. Non magis eſt Chriſtus

Chriſtus ſi adeſſet carnaliter impediret noſtrū profectum ſpiritualem.

ftus in Eucharistia, quam Spiritus sanctus fuerit in columba: sed columba tantum fuit signum descendentis spiritus, igitur Eucharistia tantū est signum. CHE. Non dicit columbam esse spiritum sanctum scriptura, quemadmodum dicit, Hoc est corpus meum: Nec est Eucharistia organum ad significandum, sicuti fuit columba. CART. Imo uidi (inquit Iohānes) spiritum sanctum descendentem super eum. CHEAD. Erat uere spiritus sanctus, qui descendit, sed additum est, in specie columbæ. MAR. Ego persequar primum argumentū Doctoris Carterouiti, cui gratias ago, quod ita uoluerit à nobis stare. Fecit sane mihi rem gratam, & multis alijs ut spero. Tu assumis, ab omnibus qui communicant, uere manducari corpus Christi, ego de impijs & infidelibus id prorsus nego. Nam infidelis, si percipiat corpus Christi, hoc uel sensu facit, uel ratione, uel fide, Sensu non potest dici, quia ad Christum non pertingit, & tantum symbola percipit, neq; (ut uos ponitis hic corpus Christi) sensu ualet percipi. Non item ratione, eodem argumento, quia superat eius captū. Supereſſet fides, sed cum ea careant infideles, non possunt ea sumere corpus Christi. CHEAD. Nego minorem, quia ore percipiūt corpus Christi. MAR. Quasi ore percipiatur aliquid, absq; sensu; quæ per os transmittuntur, apertum est à nobis sentiri. CHE. Ore percipiunt corpus Christi, sensus uero percipit accidentia. Deinde, si ego fide caream, infidelitas mea, fidem Dei non aufert, neq; facit irritum aut uacuū Verbum eius, nam post consecrationem, est corpus Christi, siue ego credam siue non credam. MART. Quod dicas ore percipi corpus Christi

De manducatione impiorum.

corpus Christi, his aduersatur, quæ posuisti: nam ais corpus Christi in Eucharistia nō esse quantum, et oris nostri actio siue perceptio, cum sit naturalis, ad substantiam spiritualem non extenditur, nec unquam ostendere poteris ore percipi nisi symbola. Quoad ueritatem sacramenti & Dei fidem, scio sacramentum esse uerum, etiam si non credamus, sed hoc non efficit, ut qui fide caret, aliud habeat, quam sacramentum, id est signum, uel symbola.

Et quid sit edere Christum, declarauit Cyprianus, in sermone de cœna domini, cum ait: Vt sciremus, quod mansio nostra in Christo sit manducatio, & potus quasi quædā incorporatio. Item, Esus igitur carnis huius, quædam auiditas est, & quoddam desyderium, manendi in ipso. Iterū, Quod est esca carni, hoc est animæ fides. quod cibus corpori, hoc uerbū spiritui. rursus, Hæc quoties agimus, nō dentes ad mordendum acuimus, sed fide syncera panem sānctū frāgimus et partimur. Aug. etiā habet de ciuit. dei li. 21. ca. 25. Nec isti ergo dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi, ut enim alia taceam, non possunt simul esse membra Christi, et mēbra meretricis. De hiq; ipse dicens, Qui manducat carnē meam, & bibit sanguiuē meū, in me manet et ego in eo: ostēdit quid sit nō sacramētotenus, sed re uera corpus christi manducare, & eius sanguinē bibere, hoc est eum in Christo manere, ut in illo maneat et Christus. Sic enim hoc dixit, tāq; diceret: Qui nō in me manet, & in quo ego nō maneo, nō se dicat aut existimet mā ducare corpus meū, aut bibere sāguinē meū. Habet q; alibi, quod Bibere est uiuere: &, Cur paras uentrē

Quid sit edere Christum.

& dentem, crede & manducasti. Quæ cum impijs non conueniant, minime possunt dici edere corpus Christi. CHE. Patres respiciũt effectũ sacramẽti, & non loquuntur de re sacramenti, aguntq; de comestiõe spirituali, et tales phrases habet scriptura: Nõ noui uos, scilicet in hũc finẽ, ut approbẽ. Et, quicũq; baptizatus fuerit, saluus erit: &, quicũq; inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit, sẽper addendum est, si perseuerauerit. Possum enim credere & baptizari, et tamen damnari, si nõ perseuerẽ: sic etiam qui mãducat Christũ, nõ habet effectũ sacramenti, de quo loquũtur patres, nisi digne manducauerit. MART. Sãcta scripura nõ agnoscit manducationẽ Christi, nisi salutarẽ, neq; ex litteris sacris habetis impios mãducare corpus Christi: Et de indigne comedentibus sic loquitur Paulus, Si quis manducauerit hunc panem aut calicem Domini bíberit. Panem dicit illos manducare, non corpus Domini. CHE. Ideo sic loquitur Paulus, quia corpus Christi appellat panem, ex eo quod antea fuit panis, uel quia speciem habet panis, Deinde Paulus dicit: Panem hunc & calicem Domini. MAR. Tu dicis, Corpus manducari à malis Paulus non dicit, Sed panem scribit. Tu ad suffugium vsitatum recurris, sed nisi aliter satisfeceris nõ potes euadere, cum Paulus aperte panem appellet; adijcit autem, hunc, & dicit, Domini, quia iam mutata sunt in sacramenta. CHEAD. Anguſtinus contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 55. aperte docet impios comedere corpus Christi, dicens: Quid dementius quam sacramentis Domini communicare? Hi itaq; dicturi: In nomine tuo manducauimus & bibimus, audituri, Nõ noui uos, qui corpus

eius

eius & ſanguinem in ſacramento manducāt, & bibunt, et mēbra eius toto orbe diffuſa nō agnoſcunt. Et habeo centū loca, quæ proferētur cū dabitur occaſio. MAR. Locus Auguſt. quē citas, nil conuincit, nā impios carnē & ſanguinem dñi accipere, ideo poteſt concedi, quia ſacramēta iſtarū rerū ſumūt: & ut idē teſtatur Aug. Sacramēta habēt nomina rerū quas ſignificāt. Quo uero ad alia loca quę dicis te habere, expectabimus ut proferātur, et tūc obiectis reſpondebo. Quod uero ad preſens attinet, ex ſacris literis nullū uerbū protuliſti, quo docueris impios comedere. Ex Auguſt. autē aperte oſtendā iſta cōuerti, comedere corpus Chriſti, et habere ſalutē et uitam. Nam habet ſuper Ioannē, Tractat. 26. Qui non māducat eius carnem, nec bibit eius ſanguinē, nō habet in ſe uitā ęternā, et qui māducat eius carnem, & bibit eius ſanguinem, habet uitam ęternam. Audis ne iſta retrocedere et cōuerti? Et mox. Hoc eſt manducare illam eſcā, & illū bibere potū, In Chriſto manere, et illum manentē in ſe habere, Ac per hoc qui non manet in Chriſto, et in quo non manet Chriſtus, procul dubio non manducat ſpiritualiter carnen eius, nec bibit eius ſangninem, licet carnaliter et uiſibiliter præmat dentibus ſacramentum corporis et ſanguinis Chriſti. CHEAD. Verum eſt, quod non manducant neq; bibunt ad ſalutem, hoc modo ſumit Auguſtinus manducare corpus Chriſti. Et ſcripturæ dicunt indigne aliquos manducare. MARTYR. Quæ tu dicis Auguſt. non habet, & Paulus aperte uocat panem, id quod impij comedunt. Veſtrum uero figmentum eſt, corpus quoddam Chriſti extare, quod mali comedant, nec ſalutē

Manducare panem Chriſti, et habere uitā retrocedunt et inter ſe conuertuntur

m.ij, habeant

habeant, neq; spiritus Christi participes fiant.

Tertia actio fuit inter Morganum, Treshamũ & doctorem Petrum Martyrem.

Quoniã libri doctoris Treshami, culpa famuli eius non sunt allati, id circo is rogabat uehementer, ut aliquantulum expectaretur. Verum domini uisitatores, ne temporis iactura fieret, Morgano magistro artium iusserunt, ut opponeret, qui eo die alioquin erat deputatus ad obijciendum.

MORGANVS. Quibus principijs agam tecũ uir doctissime, in tuo dogmate statuendo? num scripturis tantum insistes? patribus et concilijs num deferes? MAR. Decreueram ante disputationem præfari aliqua, ad quæstiones, quas proposueram muniendas: & quibus nonnihil alloquerer, & satisfacerẽ aduersario meo, qui hodie erat obiecturus. Sed qa casus accidit, ut subrogareris ei ad horã, quæ decreuerã nũc, pponere, differã in aliud tẽp⁹, Ad ea vero, de quibus me interrogasti, antequam tibi respondeam, exequar consuetas meas preces.

PRECES.

CVM SIMVS DEVS Optime Maxime de summis nostræ religionis mysterijs acturi, tuam accedimus bonitatẽ atq; misericordiam, qua ualeamus deposito contendẽdi affectu, ac omni remota perturbatione animi, ueritatem syncere disquirere, inuentam complecti, et adeptam pure docere. Tu itaq; spiritus sancti gubernatione, disputando nos regas, quo in tuis excutiendis uerbis, rationibus examinandis, & quæ uidentur suadendis, uel dissuadendis, à summa pietatis, ne lato quidem ungue

ungue discedamus. Verum quicquid inuenerimus, cogitauerimus, & dixerimus, tua ope, & numine directum, quantum fieri potest ad honorem tui nominis conducat, per Christum dñm nostrũ. Amen

Quod sit principiũ quo iudicamus de sacris.

Nũc rñdeo, rei theologicæ ἀρχήν siue principiũ, quo iudicamus de sacris lris, alias docẽdo, pbaui duplex esse, scilicet spiritũ sanctũ et sacras literas, quorũ unũ est internũ, alterũ uero externũ, sed quia nũc de externo agimus, dico nõ debere aliud poni, quã scripturam, ibi fundamentum iacio, atq; illi cumprimis innitor: Patres uero non aspernabor, imò illis deferam, quando iuxta scripturas loquuntur. Eos citaui, quemadmodum audistis, et in eo fortasis fui nimius, non quod ab illis pendeã, sed quod uideã multos addictos eis superstitiose, qui perpetuo clamãt, Patres, Patres, eosq; semper aduersum nos stare existimant. Istis indicare uolui, eos maxime pro nobis facere, & quę de patribus dixi, de cõciliis tibi respõsum arbitreris: Ad summam. Scripturæ sanctę innitimur, et omnibus deferimus, qui iuxta eã loquuntur, et loquentur.

Contendit scripturã quam habemus in manibus esse obscuram.

MOR. Itaq; agamus è scripturis. sed ista quam habemus præ manibus ambigua est, qua dicitur Hoc est corpus meum. Nam alij colligunt hinc transubstantiationem, Alij corporeã præsentiam cum pane, Alij impanationem, qua corpus Christi et panis coalescunt in vnam personam. Alij nudum signum esse constituunt. Alij signum efficax. Nec desunt qui de præsentia Christi nihil, præterea curant, quam ut hinc cultũ omnem propulsent, ut quendam iuuenem Anglum ego noui. Quãdo itaq; uidemus alios aliud statuere, & tot sint dissidia, doce me, quis nam sensus huius scripturæ

sit retinẽdus? MAR. Ex scripturis bene excussis, nõ difficulter elicietur proprius sensus horũ uerborũ. In Ioan. capi. 6. ostendit Christus q̃ apertissime, corporis sui mãducationem accipiendam esse spiritualiter. Dixit enim verba sua spiritũ & uitam esse: et, spiritum uiuificare, carnem uero nihil prodesse, & ilico suę ascensionis meminit. Atq̃ hac de re in illo capite tam copiose egit, ut postea nihil de ea scripserit in extrema cœna, ueluti Aug. testatur in lib. de consensu Euangelistarum. Spectes deinde, in eodem cap. repulisse Christũ carnalem manducationem, quam suspicabantur Capernaitę: ex quibus potes elicere manducationem corporis Christi carnalem non esse, uerũ spiritualem, Vnde quo ad hoc et facilem et clarũ sensum habes. Prę̃terea scriptura nominat apertissime panẽ. Dominus accepit, benedixit, fregit, et dedit panẽ. Panis quẽ frangimus, inquit Paulus,: nonne cõmunio corporis Christi est? Itẽ, Quotiescũq̃ mãducabitis hũc panem. Quare et hinc etiã liquet, panem manere, nec est quo ad hoc, vt loci obscuritatem causeris: Et loquutionẽ tropicam hic haberi multa demonstrant, non enim proprie conuenit Christi corpori, ut manducetur: nam quæ manducamus, dentibus conterimus, et cõmolimus, et in ventrem transmissa cõcoquimus, ac in nostram substantiã conuertimus. quod proprie de corpore Christi dicere, nephas est. Et ad calicẽ, tropus manifestissime habetur, cũ dicitur, Hic calix nouũ testamentum est &c. Adhę̃c sunt loquutiones euidentissimæ in scripturis de sacramentis, à quibus interpretatio huius loci haberi potest. Nam circumcisio dicitur pactum: & agnus, vel sacrificium, appel-

E scripturis elicitur sensus huius propositionis Hoc est corpus meum.

pellatur pascha. Dixitq; Paulus de Baptismo, quod in eo consepelimur Christo, necq; ait ibi sepulturam significari. Et Christum scimus habuisse uere humanum corpus, assumptũq; esse in cœlum, et inde venturum ad iudicandũ orbem. Hęc omnia loca si quis bene inter se componat, de sensu scripturæ huius non aliter iudicabit atq; nos. MOR. Lutherus habebat scripturas, et dissentiebat à Zuinglio, Catholici eas uident ac legunt, & discrepant ab vtrisq;. Videnturq; scripturæ tam ambiguę, ut nisi alieno lumine illustrentur, id est patribus, ad nos docendos non sufficiant. MART. Imo abunde sufficiunt, vt modo audiuisti me declarasse. MOR. Quoniã uideo te scripturis inhærere, quę tamẽ à varijs diuersimo de torquẽtur, iam tecũ agã ratione cõcisa desumpta ab eo loco, in quo sacramentũ fuit institutum. Christus accepit panem: Quem panem accepit? MART. Cum dixeris à varijs diuersimode scripturas torqueri pro illorum affectu, Respondeo id fieri uel prauorum vel imperitorum hominũ uitio, attamen illæ non sunt culpandæ quasi obscuræ in rebus necessarijs ad salutem: cum proferuntur et candide leguntur, probe suum officium faciunt. Et spiritus sanctus attestatur eas vtiles esse, ad docendum arguendum, & instituendum hominem, ut sit perfectus, et ad omne opus bonum instructus. Quod si aliqui hæserunt, eorum fuit uitium, non scripturæ, & propter illorum contentiones, accusanda non est scriptura, quasi nos docere non possit. Videmus contra Arianos demonstratum sæpe fuisse, atque id è scripturis, CHRISTVM Deum esse, uoluerunt attamen illi contendere, nec mutarunt

sententiã

sententiã, quod nihil detraxit scripturarum luci & dignitati. Non est igitur quod mihi obiectes homines uel adhuc uiuentes, uel paulo ante mortuos, qui int' se dissẽserint, et tamẽ scripturas habuerint. Quia & alię causæ assignari possunt huius eorum dissidij, quam scripturarum ambiguitas. Vt autem de illis modo iudicem, non est locus: satis mihi est scripturæ defendisse munus. Ad id uero quod interrogas: Quem panem Christus acceperit. Respondeo communem fuisse, & usitatum, azymum uidelicet, quia celebrabatur pascha. MOR. Quando illum consecrauit. An cum accepit in manus? An quando benedixit? uel quando dedit? Quãdo intelligam panẽ consecratum? MAR. Gratias agendo, dicendo quæ dixit? & faciendo quæ fecit. Quare & nos debemus illa eadem cum dicere tum facere. Et quia non habemus alioquin locum certum, id est uerba. 4. uel 5. quibus consecratus sit panis aut uinum, ex demõstratione scripturæ, ideo totum id recitare debemus quod in historia cœnæ scriptũ est. MOR. Eodẽ modo ministri consecrant, quo et Christus, nũ ergo minister accipiendo panem in manus suas consecrat? MAR. Non, sed in ipso instituto Domini peragendo consecratur, id est, sacro usui deputatur. Et per uerba Domini, & mandatum eius, instrumentum efficitur ad corpus Christi efficaciter significandũ: dico itaq; tum consecratum esse, quando omnia uerba dicta sunt, & fidelibus distribuitur. MOR. Si uerba consecrationis non sunt certe scripta, igitur, scriptura non est de se sufficiens quoad cõsecrationem. Deinde peto abs te, Erat ne panis symbolum ante finita uerba? id est, quãdo dicitur, quod accepit panem

De consecratione quibus & quãdo fiat

Quid sit cõsecratio

nem, erat ne panis factus adhuc ſymbolũ corporis Chri? MAR. Nõ ſacramẽtale, ꝓ ut nos loquimur. Et ad illud qđ inferebas, ex eo qđ dixi nõ eſſe uerba determinata cõſecrationis in ſcripturis, tũ ſequi, ſcripturã nõ eſſe ſufficientẽ. Reſpõdeo nõ ſequi: quoniã etſi nõ definit tantũ 4. aut 5. uerba ꝓ quę pręciſe fiat cõſecratio, tamẽ fideliter deſcribit totam huius myſterij hiſtoriam, quod ſatis eſt: Vnde nos illam debemus in cœna Domini repetere, ut & agamus & dicamus quæ Chriſtus egit, & dixit. Idq; nobis mandatum eſt, cum Dominus dixit, Hoc facite in meam cõmemorationem. quod tam ad uerba, quam ad facta eſt referendũ. Non enim uoluit Dñs, ut prolatis .5. uerbis, putemus nos perfunctos eſſe tanto myſterio. MORG. Benedixit panem nondum cõſecratum, Fregit panem nondum conſecratum, Et dedit panem nondum cõſecratum, ergo dedit panẽ antęq; eſſet ſymbolũ aut ſacramẽtũ. MART. Sacramentum hoc ex omnibus his conſtat, quæ dominus Ieſus egit et dixit. Et cum nobis ait, hęc facite, de omnibus his intellexit, non autem de uno aut altero: fecitq; ſymbolum benedicendo, frangendo, dando, & adijciendo quæ ſequũtur. MOR. Conſequitur, cum Chriſtus dederit panem, antequam omnia uerba abſoluerit, quod panem dederit nõ conſecratum, cum ad conſecrandum omnia uerba requirantur. Vnde ego miniſter exiſtẽs, & uerba Chri repetẽs, quãdo facio ſymbolũ? MAR. Dicendo & faciendo quæ Chriſtus dixit & fecit, id eſt, quãdo actio illa ut deſcribitur, eſt pfecta. Sed quo tẽdas aut qđ tibi uelis, non uideo, niſi tantũ, quod multa uerba fruſtra effũdũtur. MOR. Dicã apertius. Miniſtri faciũt oĩa quæ

Christus fecit, alioquī deficerēt in recto usu, sed ministri non consecrant in symbolum, antequam omnia sint prolata, ergo nec Chīs. Quod si dedit panē ante absoluta uerba, cōmunē dedit, et non symbolū corporis sui. MAR. Hic ego iā respōdi, Christū nō dedisse symbolū ante perfectā actionē, nec priusq; dixisset et fecisset quæ erāt agenda & dicenda, illisq; perfectis nō dedit solam substantiam panis, uerū eā dedit cum adiecta cōditione, scilicet symbolica. Primū itaq; panē accepit, quod si postea per ea quę dixit & fecit, adiicitur conditio sacramentalis uel symbolica, nō propterea tollitur quin dederit panem, utrumq; enim dedit, panem et sacramentum. Neq; oportet, ut ita cauilleris Christū prius dedisse panem, quam uerba sua protulerit, quia hoc potest apparere, si ordo narrationis uerborum tantummodo attendatur. Sed reducamus ob oculos actionem, & uidebimus Christum dādo, absoluisse uerba quæ fuerūt necessaria: unde iste, quem tantopere urges, est sophisticus cauillus, dū enim gratijs actis frāgebat, & dabat, simul dicebat, Hoc est corpus meum, et ita ad sacramentū nihil defuit. MOR. Quid dedit panē cōmunē uel symbolicū? MAR. Panem dedit symbolicum. MOR. Sed dedit antequā pronunciarētur hæc uerba, Hoc est corpus meum, ergo non dedit symbolū. Et idcirco ego hęc dixi, ut ostenderē nos nō posse repræhendi, cū dicimus post finita uerba Christum dedisse corpus suum, et contendimus accusatiuum, panem, non esse copulandum cum uerbo, dedit, ut cum pręcedentibus. MAR. Nemo uos reprehendit in eo quod dicatis, post ritum peractū corpus Christi dari, uerū in eo quod panē excluditis:

utrum-

utrumq; enim ſtatuendum eſt nobis dari. Et ab omnibus illis uerbis regitur idem accuſatiuus, ut ordo grãmaticaq; conſtructio expoſcit. Neq; uerum eſt, quod ſemper aſſumis Chriſtum prius dediſſe, quam omnia verba pronunciarit, quia in dando ac diſtribuendo, ſiue frangendo abſoluit uerba quæ ad rem faciebant. Non hic eſt imaginanda quædam excantatio, quaſi totum in unius litteræ ſyllabæ, aut uoculæ fiat. MOR. Dedit diſcipulis, quid dedit? corpus potius quam panem, nam corpus eſt proximior dictio illis uerbis, quam iſta uox, panem. MART. Panem retinẽdum eſſe grammatica ratio exigit, nam omnia iſta uerba regunt accuſatiuum, panem. Neq; hic intuenda eſt uicinitas loci: nã corpus meum, et ſi uideatur uox proximior, attamen non regitur à ῥ bis, fregit uel dedit, accipite & comedite, ſed à uerbo ſubſtãtiuo eſt. Qđ aũt Chr̃s ſcribaĩ prius dediſſe quã dixerit, Hoc eſt corpus meũ, eſt uſitatus tropus ὑστερον πρότερον nõ tamẽ pprie, nã admittitur neceſſitate narrationis, cũ iſta duo ſimul fierẽt, ut daret et diceret, neq; de hoc tm̃ fuit cõtendendum. MORG. Si ſit hyſteron proteron, tũc illa uox, corpus, propior eſt uerbo, dedit, quam accuſatiuus, panem: unde tam bene conſtruitur corpus cum uerbo dandi, quã illa uox panem. & hæc tam pro nobis quam pro te faciũt, et ẽ utriq; cauſę ęqualitas, quare cõſtat bene reſpõſum eſſe ſuperiori die, Chriſtũ potius corpus ſuum quam panẽ dediſſe. MAR. Quicquid dicatis pro uobis loquutionem facere, ipſa aperte reclamat et planiſsime oſtendit retinendũ panẽ, unde argumẽ ţũ meũ manet inuictũ. Corpus autẽ Chr̃i dari aliquo modo nõ negamus, eſt utrũq; qđ datur, nimirũ

panis & corpus Christi: sed cur uos panem extrudatis, nec ullam habetis rationem, et loquendi forma apertissime contra uos facit. Nõ est igitur vtrinq; causæ æqualitas. Neq; ut dixi, in constructione grãmatica, spectatur propinquior situs uocum, sed regimẽ verborũ. proinde superiori die, male est responsum, cum ita asseueraretur dari corpus, ut panis tolleretur, qui necessitate grammaticę constructionis euincebatur manere. MORG. Theophylact. in Marcũ ca. 14. Hoc est corpus meum, hoc inq; quod sumitis, non enim figura et exemplar quoddam dominici corporis panis est, sed in illud ipsum conuertitur corpus Christi, scilicet panis. Latina exemplaria male habent, ubi legitur, In illum cõuertitur corpus Christi, græce habetur εἰς τοῦτο μετάβλλεται. Vides ergo aperte istum dicere: Panem non esse figuram, sed cõuerti in corpus Christi. MAR. In primis de Theophylacto accipito, eum non esse tantæ authoritatis, ut etiam si contra nos aperte faceret, eum deberemus magnopere curare. Nam is super. 3. ca. Ioan. ecclesiam latinam apertissime dixit errare, de processione spiritus sancti, et uixit ut apparet, parũ fœlicibus temporibus. In libris latinis quos ego uidi, nam græca non occurrerũt, scribitur: In illum conuertitur corpus Christi. Sed siue ita græca habeant, siue non habeant, parum curo, quia aliquam mutationem in corpus Christi admitto. Quodq; dicis nõ est figura aut exemplar, apud Theophylactũ sic habetur, Non enim figura tantũ et exemplar, quod nos concedimus esse uerum, quandoquidem panis a nobis non ponitur purum signum, et nuda figura, et certe si non habeatur ea particula, tantum, non po

Fol. V 6 400 p. Ad Theophylactũ.

test

teſt conſiſtere Theophylactus unus aduerſus omnes alios patres, qui ibi & figurã & exemplar agnoſcunt, ut eſt Tertul. Baſil. Auguſt. Theodoretus, & alij fere oẽs. Deinde conuerſionem in corpus Chriſti, intelligo ſacramentalem, efficitur enim ſacramentũ corporis Chriſti, quod antea nõ erat. Vt enim teſtatur Aug. ad Bonifaciũ, et ſępius citauimus, Sacramenta nomina habent rerum quarum ſunt ſacramenta, unde ſacramentum inquit corporis Chriſti, quodammodo eſt corpus Chriſti; neq; mutatio eſt talis, quæ abijciat priſtinam ſubſtantiam. Et ex ipſo Theophylacto licet colligere, quod ſic acceperit: nã ſuper Ioan. cap. 6. ait, Qui manducat me, uiuet propter me. dum quodammodo miſcetur mihi, et tranſelementatur in me. Audis illum dicere, nos tranſelementari in Chriſtum, et tamen uides priſtinam ſubſtantiam nos retinere: cur idem fieri de pane nõ intelligas? MOR. Ad primum, quando ais Theophylactum quandoq; erraſſe, reſpondeo, ſi propterea non eſſet recipiendus, Auguſtinum pari ratione refutare poſſes, qui recepit diuorũ inuocationem, imagines, et preces pro mortuis, quę ſunt errores, ſi ueſtram ſequamur ſententiã. MAR. Non propterea dicebã omnino reijciendũ, ſed oſtendere uolui gradus eſſe inter patres, ut intelligas nõ eſſe parem omnium authoritatem, quæ maxime attenditur penes tempora et ętatem, qua uixerunt. Et quod ab eccleſia latina ſic nominatim diſſenſit, in controuerſia de ſpiritu ſancto, argumento eſt, eum incidiſſe in illa poſtrema tempora, quando flagrabat illud diſsidiũ inter gręcos & latinos, qua eadem tempeſtate iam pullulare incipiebat dogma tranſubſtantiationis.

De Auguſt. uero & ſimilibus eius, longe alia ratio eſt. Purioribus enī uixit temporibus, et de ſanctorum inuocatione, aut precibus pro mortuis, uel quā tum, uel quomodo à nobis diſſenſerit, erit alius tractandi locus. De imaginibus aūt quas admiſerit adorandas, nihil ſcio. MORG. Theophylactus omnino mecum eſt, dum inquit ſuper Ioan. cap. 6. Panis quem ego dabo, non eſt figura carnis, ſed caro mea eſt, tranſformatur enim arcanis uerbis panis, etiam ſi nobis uideatur panis, tamen caro eſt &c. Vides eū ponere mutationem panis in carnem Chriſti. Et in Matth. ferè eadem habet, et addit, Apparere idcirco panem, vt noſtrę infirmitati condeſcendatur. Et ponamus eum uoluiſſe tradere tranſubſtātiationē, quid aliud dixiſſet? aut quibus apertioribus uerbis extuliſſet? nam idē ſuper Marcū. 14. ca. inquit: Speciem quidem panis & uini ſeruat, in uirtutem autē carnis et ſanguinis trāſelementatur. MAR. De iſta conuerſione, cuius meminit Theophylact. cą. 14. nō ambigimus, eſt enim ſacramentalis, utęq; modo citaſti. ſuper Marcū, habet panem et uinū in uirtutē carnis & ſanguinis tranſelementari, nō autem dicit, in carnē et ſanguinē, quod et nos dabimus, quandoquidē ſacramenta nomina habent rerum, et nobis deus per illa ſpiritum et gratiā confert, quę ſunt uires rerū ſignificatarum. Et cū dixit, tranſelemētari in uirtutem carnis et ſanguinis, oſtendit quomodo intelligendum ſit panē cōuerti in corpus Chriſti. Nimirū q̄ per iſta ſymbola, et ſacramēta, operetur in nobis ſpiritus ſanctus merita, fructū et gratiā corporis Chriſti, pro nobis crucifixi, atq; ſanguinis eius, p nobis effuſi. & Theophyl, ut dixi, damus mutationē ſacra-

Imo in libro de fide & ſymbola cap. 7. et ſup pſal. 113. cōtra imagines apertiſſime loqtur

In priore epiſt. ad Cor. c. 10. dicit nos permiſceri in uiuā carnem Chriſti.

sacramentalē. Quodq; ait, dominum nō dixisse figuram esse panē aut uinum, si id simpliciter intelligat, habet aduersum se omnes patres, Nā Basilius dicit, ἀντίτυπον esse: Et Aug. figuram, et signū. Et quod speciem nominat panis, eius ueræ naturæ atq; substantię nihil præiudicat, nam ista uox species apud patres, ut supra ostendimus, ueram naturam rerum significat. MOR. Sic quoq; nos dicemus, uirtutem posse significare corpus: atq; idem Theophylact. in Math. cap. 26. ait, Hoc est corpus meum, ostendit, quod ipsum corpus domini est panis, qui sanctificatur in altari, et non respondens figura, Non enim dixit, hoc est figura, sed hoc est corpus meum. Deinde uerbum, hoc, transformatur, pertinet ad substātiam, nō ad qualitatem, et subdit dari nobis, ita vt panis uideatur, quia infirmi sumus, ne horreamus crudas carnes comedere. Quod si tuā sequeremur sententiam, de mutatione sacramentali, et nō reali, minime opus esset: nullum enim periculum immineret horroris. MAR. De figura satis respondi, quomodō sit intelligendum. Sed tamen cum tantopere urgeas, CHRISTVM non dixisse figuram esse, is etiam non dixit accidentia separari à subiecto, vel panem excludi, quod ipsi ponitis. Et verba Theophylact. mutandi, transformandi, atque transelementandi, concedimus, propter conuersionem sacramentalem. Et quod asseuerat panem sanctificatum in altari, esse corpus CHRISTI, admittimus. Probatum est enim per Augustin. ad Bonifaci. Sacramentum Corporis CHRISTI esse aliquo modo, & dici, corpus Christi. Id uero qđ adijcitur, Ineffabili operatione trāsformari, nil contra

Idē 10. c4. prioris ad Cor. exponens illum locū, Panis quem frāgimus dicit. Q đ ī cruce nō est passus Christus (os enim eius nullum est contrā) hoc iā sustinet, cū p nos frā gitur. Ea dē ferè habet Chrys. q si simpliciter est absurdissimū.

tra nos facit, nã fatemur id non esse opus naturæ, ut prophana & communis res efficiatur sacramẽtum: Opus quippe est, ut spiritus sanctus ineffabiliter operetur. De forma uero, an semper ad substantiam pertineat, ipse uideris, certum est & in prædicamento qualitatis reponi, vnde non est quod obijcias, trãsformari, substantiam respicere. Et ille horror, ne à carnibus crudis resiliamus, tollitur p substantiã panis, & statuendo sacramentalem significationem. Illaq; sua loquutione, aliud non uult Theophylactus, quàm ostendere manducationẽ carnalem minime cõueniss̃e, quia horruissemus à crudis carnibus, ideo datam esse spiritualem, in qua species id est natura panis seruatur, et nihilominus corpus & carnem Christi uere habemus, nimirum fide illa percipiendo. Quodq; adeo urges uerborum Theophylacti energiam, me non multum mouet. Scio enim illum, cæteroscp patres, admodum fuisse uehemẽtes & hyperbolicos, atq; ideo cõmode interpretandos.

Scripturæ cur transubstãtiationem nõ admittãt.

MOR. Interrogaui antea & nunc rursus interrogo, Si spiritus sanctus per scripturas transubstantiationem uoluisset statuere, quibus nam uerbis id fecisset? MAR. Scripturæ non fuisset attestatæ panem adesse, uti monstrauimus eas aperte dicere, neq; mãducationem uel fractionẽ posuissent nobis, quę corpori Christi non possunt conuenire, nimirum ut re uera frãgatur, minuatur & commolatur dentibus: ideo cum scriptura ista pani attribuat, ut cum dicit, Panis quem frangimus, Et, qui manducauerit hunc panem indigne, aperte ostendit se de uero pane loqui, et transubstantiationem minime statuere.

MOR. Sed corpus Christi cum dicatur in 6. capite Ioan.

Iohan, panis tropice, ideo in constitutione cœnę à Paulo fit mentio panis, nimirum, ut retineat Christi loquutionem, qua vsus est in.6.ca. Iohan. MART. Christū in cœna loqui de veris naturis symbolorū panis et uini, certum est argumētum, quia dixit, Nō bibam post hac de hoc genimine uitis. et uitis non fructificat accidētia. Deinde Paulus aperte dicit: Panis quē frangimus, nōne cōmunio est corporis Christi? Iussit præterea Chīs nos manducare, quod (uti dixi) corpori Christi non potest proprie cōuenire, quia non manducatur, nīsi quod molitur dentibus. Metaphorā uero agnosco in.6.ca. Iohan, ubi Christus panem se appellat, quod scilicet nos pascat, quē admodum panis naturalis, & ut ueteres in deserto pascebat Manna: Hic vero metaphorice nō potest agere, quia is panis de quo loquitur, et frangitur, et commolitur, manducando. Huc accedit quod patres interpretantur panem hunc sacramentalem, de quo est sermo, confici ex multis granis. MORGA. Cur non potest et hic capi metaphorice? MART. Quia ut iam bis dixi, proprietates hic ponūtur, quę non conueniunt pani metaphorice sumpto, id est corpori Christi, vt fractio, manducatio. MORG. Quę tribuuntur sacramētis, aliquo modo tribuuntur et rebus, quarum sunt sacramenta, ut ait Aug. ad Bonifac. Sacramenta habēt nomina rerum: sed panis qui est sacramentum, uere et proprie frangitur, ergo corpus Christi quod est res sacramenti, per tropum frangi dicitur. Deinde cum dicitur, Accipite, manducate. qui accipitur et manducatur panis, est ne panis metaphorice? Et accipite, et commedite, sunt ne metaphoræ, pertinentes ad corpus

Christi percipiendum, an non? MAR. Respondeo quando sacramentū fideliter sumimus, duplex est ibi manducatio, & duplex panis. Percæptio enim corporis Christi, quam habemus fide, dicitur manducatio metaphorica, sicut corpus Christi quod sumimus, panis est metaphoricus. Ibi etiam habemus manducationem symbolorum, quæ propria est, sicut etiam panis, & uerus est & naturalis. In 6. Ioan. mentio est tantum metaphoricæ manducationis, & metaphorici panis, sed in cœna domini, qua ipse cōmunicauit cum suis, adiecta est propria māducatio, & datus uerus panis pro symbolo: & ita in cœna datus est uterq; panis, et naturalis & metaphoricus, & utraq; peragitur manducatio, & naturalis in symbolis et metaphorica, quoad corpus Christi, quod fide accipimus. MIror uero te illud accipere, rebus tribui quod proprie cōuenit sacramento, id est signo, ut sic uelis corpus Christi dici frangi tropice, eo quod panis frangatur. Nam si panem hic uere concedis frangi, quid amplius contendimus? Iam panem concedis, non erit amplius transubstantiatio. Deinde cum scriptura dicat panem frangi, & sensus fractionem panis percipiat, hoc primum statuatur: Postea, cum scriptura dicit corpus Christi frangi, si per metaphoram intelligere uolueris & tropum, quod scilicet frangatur, quia sacramentum eius frangitur, conueniemus: Sed fundamētum huius tropi in primis dandum erit, scilicet panem esse, qui re uera frāgatur, quod etiam sensus fieri cognoscit. De uerbis autem, Accipite & manducate, aio sic esse accipienda. Vt panem hunc accipitis & manducatis corpore, ita corpus meum fide & animo percipite, ut

Duplex māducatio et duplex panis.

te,ut eo instar cibi, confirmemini. MORGAN. Hęc,ut mihi uidetur, disputatio est uagabūda,unde propius accedo. Accipite & manducate sunt metaphorica, & hac ratione bene conueniunt Corpori CHRISTI, ergo & fractio potest pani metaphorico,id est corpori Christi,attribui, nā simili in usu est fractio. MART. Si est disputatio uagabunda, tuo fit uitio, quia argumentum uel rationem non componis. Quodq; obijcis, Sicuti metaphorice potest conuenire corpori Christi manducatio, sic potest ei conuenire fractio: Ego affero longe aliam esse rationem & manducandi & frangendi in his uerbis, & forma loquendi scripturæ, quam tractamus, scilicet, Nonne panis quem frangimus, nam puto te velle accipere frangere, ut metaphorice ad crucifixionem referatur. Sed cogites Paulū dicere: Panis quem frangimus.ubi non licet intelligere, quod nos ipsi Christum crucifigamus. Commode possumus dicere illum manducare metaphorice, quia illo uescimur, sed quod ipsum crucifigamus,est admodum durum & absurdum. MOR. Metaphorice si manducamus, id est spiritu & fide, cur non etiam frangamus metaphorice? præsertim cū omnis manducatio habeat in se fractionem. MAR. Dicit Paul. Panis quem frangimus.etsi accipies frāgere pro crucifigere,per metaphoram,nos dicemur Chm crucifigere. Concedo autē,qđ oīs mā ducatio naturalis habet ī se(ut dicis)fractionē,at nō oīs mā ducatio spiritualis,qa ipsa eo spectat,ut re pcepta fruamur,tāq; cibo, nō aūt ad hoc extēditur ut frāgam⁹ et molamus q frāgi nō potest neq; moli. MO. Cū intuemur singulas molestias à Chro ī cruce tolleratas

Nō est fractio metaphorica ubi dicitur à Paulo: panis quē frāgimus

dicimur frangere metaphorice: nã quæ conuenientia est inter manducare & fide percipere, eadẽ est inter frangere & intueri, siue cognoscere molestias Christi in cruce. MART. Miror te ponere conuenientiam inter frangere, id est crucifigere Christum, et intueri siue cognoscere eius molestias in cruce, nã intuemur uel uidemus oculis, & frangimus ui & manibus. Existimo etiam te scire, Metaphoras nõ debere esse tam remotas. Deinde congeminas metaphoram, quia una est, si sequamur tuam sententiam, qua, frangere, significat crucifigere: & altera, quod hoc trãsfers ad cognoscendum. Quicq̃ non potes ferre, ut nos in uerbis Domini, Hoc est corpus meum, ponamus tropũ ullum, multos tibi usurpas, illosq̃ duros & inusitatos. Et ut non concedas in cœna Domini, ueri panis fractionem, te in quæuis præcipitas. MOR. Frangere est metaphora satis idonea, pro eo quod est intueri, mentecq̃ recolere passionem Christi. Nam Paulus habet, Hoc est corpus meum, quod pro uobis frangitur. Et Bucerus contra Abrincensem Episcopũ recipit, frangi, metaphorice posse dici de corpore Christi: & ista conuenientia, ut frangere transferatur ad nostram cognitionem, usitata est in lingua Anglicana, dicimur enim frangere difficultates discipulis. MART. Et si alibi forte possit esse idonea illa metaphora, non tamen locũ habet ubi Paulus inquit, Panis quẽ frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? ubi respicit indubitato externam fractionem, & distributionem Eucharistiæ: Concedo quidem cum Bucero, corpus Christi posse dici fractum, id est passum, sed non admitto quod nos frangamus, id est

Adhuc manet insolutum illud argumẽtũ panem hic statui à patribus qui ex multis granis cõficitur. Et id qđ Christus cit nõ bibá post hac ex hoc genimine uitis.

cruci-

crucifigamus eum. Præterea linguam ueſtram cum non calleã, de tali metaphora Anglicana non poſſũ rationem reddere, niſi forte uelitis frangere difficultates, idem eſſe quod ſoluere. Sed loquor quæ dixi, prout Græca & Latina lingua, in quibus ſcripturas noui Teſtamenti habemus, conſueuit loqui.

Viſitatores tranſtulerunt diſputandi partes ad D. Treſhamum.

TRESHAM. Cogor omittere ea quæ dicere inſtitueram, quoniam & proceſsit diſputatio, & tempus elabitur. Vos igitur ampliſsimi legati ſereniſsimi Regis noſtri oratos habebo, ut hodiernas diſputationes eadem beneuolentia proſequamini, qua proſequuti eſtis eam, quę habita hic erat nudius tertius & nudiusquartus, quæ ſane fuit maxima. Nunc præmiſsis precibus ad rem ueniemus.

PRECES.

BEnigniſsime Domine Ieſu Chriſte, Panis uitæ æternæ, qui ex ineffabili gratia, genus humanum miſericordia tua, de cœlo, ut carnem de uirginis carne aſſumeres, deſcẽdiſti, ipſamq; aſſumptã nobis in cibum dare dignatus es, nimirum, ut in memoriam tui ipſam ſedulo manducemus, & illius participatione unum corpus efficeremur omnes, Concede ſupplicibus tuis, ut illo nos ſuauiſsimo epulo, quod carnem tuam uiuificam eſſe credimus, illoq; potu dulciſsimo, quem uerum ſanguinem tuum cõfitemur, ſemper fouere et nutrire uelis, Quo luce tua & ueritate in uniuerſos emiſſa, unanimes ſimus in

domo tua, idipsum dicentes omnes, id ipsum sentientes, et non sint in nobis schismata, sed perfecti in eodē sensu, et in eadem sentētia, ambulemus gnauiter in fortitudine cibi istius, usq; ad montem sanctū tuum, et per gratiam tuam deducamur in tabernacula tua. Qui cum patre et spiritu sancto uiuis et regnas, unus idemq; deus in sæcula sęculorū. Amen.

Domine Doctor Petre, recolo te pollicitum fuisse, cum prima die mecum disputares, et ego respondendo tuis argumentis, obijcerem aliqua loca ex patribus, ut satisfaceres, cum uenisses ad respondendū. Nunc est tempus, ut id pręstes. Incipiam itaq; à Cypriano, et opponā Martyrē, Martyri. et sic argumentabor. Cyprian. martyr, ponit transubstantiationem, ergo Petrus Martyr non debet eam negare.

MART. Tam firmum est hoc argumentum, atq; si ratiocinemur à re, ad nomen. Nam Cyprianus re uera fuit martyr, ego tantum Martyr appellor. Sed mittamus iocos. Respondeo Cyprianum minime statuere transubstantiationem.

Cyprianus uidetur asserere trā substātiationem.

TRE. In sermone de cœna domini: Panis iste quem dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus, omnipotentia uerbi factus est caro.

MAR. Nego hūc locum facere pro transubstantiatione.

TRE. Erasmus annotauit in margine sic accipi hunc locum.

MAR. Erasmus idcirco annotauit in margine, quod sciebat multos hoc inde colligere: q; uero fuerit persuasa trāsubstantiatio Erasmo, ex eius scriptis poteritis disquirere. Verū illū nūc uidemini magnifacere, quem alias iniquissime tractatis. Quandoq; non admittitis, et errasse passim accusatis, nunc uero eū tam facile obtruditis.

TRES. Tu Erasmū in his annotatio-

notationibus marginis adducere soles, quando pro te facit, nunc quando dissentit, reijcis. Is vero dicit quod panis iste communis mutatur. MART. Mutari panem in sacramento nunquam negaui: sed miror te qui Cyprianum ab initio attuleris, quomodo nunc te conuertas ad Erasmum, semel quidem fateor Erasmum citaui, prout in margine Augustini adnotauerat, sed non tantum ei tribui, ut præterea non confirmarim alijs rationibus, quod probãdum instituerã: tu itẽ alias adducas rationes, & eis respondebo. TRES. Erasmum quando pro te facit, accipis, cum aduersatur, repellis. Verum ex Cypriani uerbis, trãsubstantiationem conuinco, nam dicit in eodem loco, Panis iste communis in carnem et sanguinem mutatus, procurat uitam et incrementum corporibus, mutatio autem panis in carnem est transubstantiatio. MARTYR. Istud idem vobis de Erasmo, vt eum contemnatis et magnifaciatis, pro arbitrio, maxime conuenit, sed ne tempus teratur, locum Cypriani quem adduxisti, prius excutiamus. Panis quem Dominus discpulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi, factus est caro. Hæc sunt integra eius uerba, nihil inuerto. Respondeo autem illum hic ponere mutationem panis sacramentalem, quam nos afferimus. Et hic habemus cum transubstantiatoribus quædam communia, et quædam diuersa. Commune mihi tecum est, effigiem panis manere neque mutari, ut Cyprianus ait, sed natura panis est, quæ mutatur. Atq; de hac mutatione dissentimus, nos enim dicimus, naturam panis mutari, quia sacramentum Corporis Christi effici-

efficitur, nec minus sacramentum corporis mystici, quod antea non erat. Et ideo naturę attribuitur ista mutatio, non accidentibus panis, quia natura panis est, qua nutrimur, et quæ constat ex multis granis, quę sunt rationes, in quibus fūdatur sacramenti huius ratio. Quare cum Cyprianus dicat naturam panis mutari, non sequitur eam non manere: nam in physicis mutationibus, id quod mutatur, id est subiectum, retinetur: Imo si ipsum auferas, non habebit mutatio cui innitatur. In generatione, manet materia: In alteratione compositum, In augmentatione, quod alitur et augetur. Et in motu locali, id quod mouetur: Ita cum Cyprianus dicat naturam panis mutari, duo habemus, et quod maneat, et qd sacramē tum fiat, quod antea non erat. TRES. Iam Cyprianus non est Cyprianus, sed Petrianus, nō est opus omnipotentia, ut in panem inducamus quid intentionale, et extrinsecus adueniens. Imago Christi pē dentis in cruce tantum ualet. MAR. Respōdeo magnam rem esse mutationem sacramentalem, neqꝫ posse effici, nisi potentia Dei, nam est res supernaturalis, et solius Dei est sacramēta facere. Et in Baptismo, ubi non ponitis transubstantiationem, sine Dei omnipotentia, ex aqua non efficitur sacramentum, quo Christo inseramur. Et quod ad hoc requiratur uis spiritus sancti, satis habetur ab Augu. in. 3. de trin. ubi dicit, Quod cum per manus hominum ad illam uisibilem speciē perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu dei. Vnde imago Christi forte potest esse eius signum, sed non sacramentale. TRES. Si panis factus est caro, ut ait Cyprianus, ergo

In mutatione id qđ mutatur, quo ad subiectū manet.

Habes aliam responsionem supra in tractatiōe de natura, quæ interdum uim significat.

ergo est caro, argumentum est euidentissimum. Sed hoc dari non potest, vnquam esse uerum, quod panis sit caro, est enim ac si quis diceret, homo est lapis. MAR. Eo pacto concedimus panem esse carnē quo factus est caro, sed non est factus caro per transubstantiationem, uerum per conuersionem sacramentalē. Igitur et hac ratione damus panem esse carnem. Quare antecedens, si recte intelligatur, non plus infert, quā quod panis sit caro sacramētaliter. si uero intellexeris antecedēs, qđ panis realiter aut trāsubstantialiter factus sit caro, negatur. Quod deiceps addis uerā fore propositionē. Panis est caro, atq; id esse ualde absurdū. Dico te nō probasse, neq; pbare posse, omnes propositiones, quæ constant uerbo substantiuo [est] habendas esse pro identicis, quia possūt aliqua prædicari de subiectis, etiam per quandam analogiam, aut conuenientiam, ut circumcisio est pactum, vbi non requiritur, pactum & circumcisionem idem esse. Deinde uides in ea propositione qua dicitur, Verbum caro factum est, utrumq; manere, tam uerbum, quam carnem. Cur in sacramento, quando assumis, Panis factus est caro, non potest manere panis? TRES. Cum Cypriano consentit Chrysostomus, ambo fuerunt eiusdem spiritus, alius ergo inuenitur ueritatis testis. Chrysostomus apertissime transubstātiationem ponit, nam in Encenijs habet homiliam, in qua sic loquitur, Num uides panem? Num uides uinum? Nū sicut reliqui cibi in secessum uadit? Absit. Ne sic cogites. Quemadmodum enim, si cera igni adhibita, illi assimilatur, nihil substantię remanet, nihil superfluit, sic & hic puta mysteria consumi, corporis sub

Quomodo panis dicatur fieri caro.

Propositiones per uerbū est, nō semper identicæ.

Locus Chryſoſtomi.

Chryſoſtomus et patres utuntur hyperbolis.

ſtantia. Propter quod & accedentes &c. Hic uides Chryſoſt. panem & uinum excludere, atq; negare quod in ſeceſſum abeant. MART. Chryſoſtomum dico, ut cæteros patres, quo auguſtius loquerentur de hoc ſacramento, uſum eſſe magnis & cõpluribus hyperbolis, quo animos audientium auocaret à ſymbolis ad rem ſacramenti complectendã. Alioquin hæ hyberbolæ, ſi exigantur adamuſsim, nullo pacto ſtare poſſunt, quare egent dextera interpretatione. Videas illum ſæpe & alios patres negare ſimpliciter, quod tantum ſecundum quid negandum fuerat. Quin & in ſacris litteris tales loquutiones uideas: Dicit Paulus, Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem. quod pugnat cum eo, quod ſcribit ad Gal. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Sed negabat contra carnem & ſanguinem pugnam nobis eſſe, duntaxat ex collatione, ſi conferretur cum ea, quam habemus cum nequitijs cœleſtibus, id eſt cum diabolo & eius ſpiritibus. Et in Chriſto (ait idem Apoſtolus) non eſt maſculus neq; fœmina, cum tamen Chriſtianiſmus naturę humanæ proprietates non auferat: Imo ipſe Apoſtolus, in Chriſto dabat propria mandata, cum dominis tum ſeruis, uiris & vxoribus: at intelligebat marem & fœminam non eſſe in Chriſto, quoad redemptionem, gratiam, & ſalutem percipiendam. Scripſit idem, ſe non eſſe miſſum baptizare, ſed Euangelizare, tamen Chriſtus promiſcue dixerat Apoſtolis, non tantũ ut prędicarent, ſed etiam baptizarent. Negauit igitur ſe miſſum ad baptizandum, non ſimpliciter, uerum ſecundum quid, ex collatione duorum munerum, ſignificare

Hyperbole ex collatione, q- bus utitur ſcriptura.

gnificare uolens, ſibi imprimis commiſſam eſſe prædicationẽ, & eam tam prẽſtare muneri baptizãdi, ut quodam modo poſſet dici ad illud non eſſe miſſus: alioquin baptizauit Criſpum, Gaium, & Stephanę domum. Hoc pacto ſunt accipiendi et patres, hic quandoq; negare panem et uinum, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum collationem ad rem ſacramentorũ. Nam quo ad nos attinet, tãti facere debemus ſacramentorum res, ut ſymbola non plus attẽdamus, atq; ſi non eſſẽt. Vtq; oſtendant, quid nam in communione debemus quærere, non quidem panem & vinum, per ſe ipſa, nam hæc domi habemus, ſed corpus & ſãguinẽ Chriſti, quaſi ex collatiõe rei ad iſta, panis et uinũ dicãtur quodammodo nõ eſſe. Debemus enim abſtrahere animũ à terrenis elemẽtis, ad corpus et ſanguinẽ Chriſti in cœlũ. Igitur ad uerba Chryſo. cũ dixit: Nũ uides panẽ? Num uides uinũ? ſtatim ſubiecit: Ne ſic cogites. Et poſt ſimile de cera ſcribit. (Sic & hic puta.) Et hyperbolem ſatis indicat in ſequentibus, cum dicit: Ne putetis quod accipiatis diuinum corpus ex homine, ſed ex ipſius Seraphin forcipe ignem. Hæc ad uerbum intelligi nequeunt, niſi uelitis & miniſtrum ipſum uel tollere, uel tranſubſtantiare. Et addit. Reputate ſalutarem ſanguinem, quaſi è diuino & impolluto latere effluere, quod uoſipſi non daretis, neq; fieri poteſt, ut è latere corporis CHRISTI impaſſibilis, nunc ſanguis effluat. THESHAMVS. Multa dixiſti, & ſcripturę quas citaſti, aliam interpretationem admittunt, & quę ad Chryſoſtomum applicas, ab illo ſunt aliena. Ipſe enim Chryſoſtomus primo ſtatuit ueritatem doctrinę & fidei

Eiſdẽ hyperbolis ex collatione utuntur patres, & hic præſertim Chryſoſtomus.

in his uerbis, deinde conuertit se ad mores, vt nos trahat ad altiora. Primumq; tantummodo instruit, et docet, anteq; ueniat ad figuras, et cum tradit dogmata et docet, exemplum inducit de cera postea (ut tu dicis) fateor eum vti hyperbolis: modo interrogo, uera ne dixerit Chrysostomus, an non? si uera, habeo quod quæro, si non, inuentus est falsus testis dei, iuxta id quod Paulus habet prima ad Cor. ca. 15. dum confirmat resurrectionem, scribit enim, Si non est uerum Christum resurrexisse, falsi inuenimur testes. MART. Ais Chrysost. primum tradere dogmata et docere, deinde cum ad mores accedit formandos, confiteris illum habere hyperbolas et figuratas loquutiones, et uis exemplum ceræ pertinere ad primam partem. Respõdeo inter nos iam conuenire quod Chrysost. in hoc loco, sicut & in alijs sit hyperbolicus, quo admoneamur, ne habeamus in symbolis oculos defixos, sed nos in cœlum ad Christum ipsum erigamus, ac mente uersemus eius mortem. et hos tropos iam probaui ex duobus aut tribus locis satis aperte, nec tamẽ propterea est dicendum, q; falsum loquutus sit Chrysost. Datur enim uere nobis corpus Christi edendum & sanguis potandus, uerũ animo & fide ista percipiuntur, neq; solum illis animus instauratur, uerum etiam corpus. Et ne decipiamur in eius tropis, usus est uerbis (existimes, putes, et cogites.) Quod uero tu ista distinguas in doctrinam et mores, non constat ex uerborum Chrysost. serie. Et multo minus valet, quod simile de cera uis accipiendum esse proprie, tãquam ad dogma pertineat: nam ex Cyrillo lib. 4. super Ioan. ca. 17. idem simile habetur de mutatione nostra

Cur hyperbole utatur Chrysost.

In his hyperbolis non falsum loquitur Chrysostomus.

ſtra in Chriſtum. Verba Cyrilli hęc ſũt: Sicut enim ſi quis liquefactę cerę aliam ceram infuderit, et alteram cum altera per totum commiſceat, neceſſe eſt, ſi quis carnẽ et ſanguinem domini recipit, cũ ipſo ita coniungatur, ut Chriſtus in ipſo, et ipſe in Chriſto inueniatur: ac eadem ferè habet in lib. 10. cap. 13. ubi ſcribit, Nam quemadmodum ſi quis igne liquefactam ceram, alij ceræ ſimiliter liquefactę ita miſcuerit, ut unum quid ex utriſq; factum eſſe uideatur, ſic communicatione corporis et ſanguinis Chriſti, ipſe in nobis eſt, et nos in ipſo: Hæc ex Cyrillo. Vbi uides et Chriſtum et nos comparari ceris liquefactis, nec tamen diceres, aut nos aut Chriſtum tranſubſtantiari. Quomodo igitur hoc de pane uis aſſerere, propter idem ſimile poſitum à Chryſoſt? Imo ſi res diligenter excutiatur, nos ipſi magis Chriſto coniũgimur, q̃ panis, quia pani in hunc finem ſuo modo coniungitur Chriſtus, ut nos uerè illi uniamur. Et uerba per quæ panis dicitur corpus Chriſti, magis ad nos pertinent, q̃ ad ipſum, qui natura nihil intelligit, aut credit. TRES. Chryſoſt. eſt optimus interpres ſui ipſius, qui ſuper Matth. cap. 26. hom. 83. oſtẽdit ſe nõ loqui hyperbolice, et ſcribit: Credamus itaq; ubiq; deo, nec ei repugnemus, etiã ſi ſenſui & cogitationi noſtrę abſurdũ eſſe uideatur quod dicit. et mox: Nã uerbis eius defraudari nõ poſſumus, ſenſus uero noſter deceptu facillimus eſt, illa falſa eſſe nõ poſſunt, Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus. &c. Et mox, Quos radios ſolares non deberet excedere manus illa, quę hãc coronam pertractat? Hic incipit miſcere tropos, ſed poſita prius doctrina, nec oportet ut tropos inducas

Simile de cera habetur apud Cyrillum.

Chriſtus nobis magis coniũgitur quã pani.

extra ſua loca. MAR. Iã, ut dixi, conuenis mecum, quod Chryſo. interdũ loquatur in hoc negotio tropice, quia id negare non potes, ſed tantũ contendis, ante illa verba: Quos radios ſolares nõ deberet excedere manus illa, tropum non haberi. Res ipſa loquitur ſecus eſſe, habes enim à principio: Nihil ſenſibile traditur à nobis à Chriſto, et neges (ſi potes) ſenſibilia ſymbola ab illo eſſe inſtituta, et nobis tradita. Deinde adiecit: O quot modo dicunt: Vellem formam et ſpeciem eius, uellem ueſtimenta ipſa, uellem calciamenta uidere, Ipſum uides, ipſum tangis, Et hic nonne tropum agnoſcis? Quis noſtrũ in Euchariſtia uidet aut tãgit Chriſtũ? Paulo poſt, Nos ſecum in unam (ut ita dicã) maſſam reducit, neq; id fide ſolũ, ſed reipſa nos corpus ſuũ facit. Noſtram attingit hic mutationem in Chriſtũ, quã eſſe tranſubſtantiationẽ dicere nõ potes. Prẽterea in his ijſdem prioribus locis, baptiſmum confert cum Euchariſtia, ut intelligamus in utroq; ſacramento cõſimilẽ eſſe rationẽ. Et quia pro te arripis, qđ Chryſ. dixit, Neq; id fide ſolum ſed re ipſa corpus ſuũ efficit. nihil iuuaris: Nã ibi non loquitur de pane, uerũ de Chriſti coniunctione nobiſcũ, quã ego concedo nõ tantum fide conſtare: quia etſi fide in ſacramento Chriſtum complectimur, attamen eã ſequitur uera noſtri immutatio in Chriſtũ. Animus enim alacer et paratus efficitur ad honorẽ deo exhibendũ, et noſtrũ corpus ſpiritui reddit magis ſubditum, ac ita immutatio fit re ipſa, tũ animi tũ corporis, et hoc pacto intelligit nos cõtrahi in unã maſſã in Chr̃o, quia illi perq; cõformes reddimur. Vnde uides per hæc non tolli panẽ, nec ſequi, Chriſtum uel realiter, uel ſub-

Quomodo nos ī Chriſtum uere mutemur.

ſubſtãtialiť in eo cõtineri, Imo hic ex Chryſ. habes, intelligíbília eſſe, quę nobis tradũť. Et poſt ῥba quę tu annotaſti, ante quę nolebas tropũ eſſe, tã aperte habẽtur figurę, vbi dicit, qđ lingua cruẽtetur, uel ruheat, ut ipſe eas negare nõ ſis auſus: ſequiť igitur hyperbolicã et tropicã eſſe totã hanc oratiõem. TRE. Faxit deus, ut recte intelligas. Mos eſt apſorũ et patrũ, primo docere fidẽ et dogmata ueritatis, poſtea mores iſtituere. MAR. Sed in his locis Chryſ. nõ diſtingues mihi dogmata et mores, ubiq; ſparſim ſunt tropi. TRE. Iã oſtẽdi tibi, ſed aliũ doctorẽ adferã cõtra te, et agã tecũ humaniť, qa obijciã tibi (niſi fallor) hoiem cõterraneũ, Thomã de Vio, Caietanũ. MAR Nõ accipio, eſt ſcholaſticus, fuit Cardinalis, & uixit meo tẽpore, neq; etiã tu in oĩbus, admitteres. TRE. Bene, ego morẽ tibi gerã, ſi non admittis, nõ obijciã.

De Cardinale Caietano.

Hic Reuerendus Dominus epiſcopus Lincolnienſis fecit copiam Morgano rurſus obijciendi, ſi uellet.

MORG. Omnes doctores et patres ad unũ cõuellunt omnia principia, quibus tollitur tranſubſtantiatio, ergo eſt ponenda. MAR. Nego antecedens, nam ſi patres recte intelligãtur, noſtra principia nõ tollũt. MOR. Vellicant hoc principiũ, corpus humanũ non poſſe eſſe ſimul in multis locis, & corpus quantũ nõ poſſe carere modo quantitatiuo. MAR. Nego aſſumptum quod patres iſta uellicent ita ut prorſus tollantur. Nec ſunt hæc, quæ narras, principia plena, propter quæ repudiatur tranſubſtantiatio. Nam & Lutherus, et qui cum eo faciunt, corpus fatentur eſſe in multis locis, et corpus quantum poſſe carere modo quantitatiuo, & nihilominus tranſubſtantiationem repudiant, igi-

Quod sit principiũ propter q̃ negatur transubstãtiatio.

igitur quę cõmemoras, nõ sunt plena et integra principia, per quę transubstantiatio à nobis repudiatur. Primũ enim & præcipuum principiũ nostrum est sancta scriptura, quæ ibi panem agnoscit. MOR. Corpus posse carere modo quãtitatiuo probabitur ex Chrysost. in 2. cap. Ioan. hom. 86. ubi scribitur, Dignum autem dubitatione est, quomodo corpus incorruptibile formam clauorum acceperit, & mortali manu tangi potuerit. Sed hoc te non perturbet, hoc enim permissionis fuit. Corpus enim tam tenue & leue, ut ianuis clausis ingrederetur, omni crassitudine carebat, sed ut resurrectio crederetur, talem se exhibuit. Et ut ipsum crucifixum fuisse, et neminem alium pro eo resurrexisse intelligas, propterea cum signis crucis surrexit & manducauit: Quod resurrectionis signum, Apostoli plurimi fecerunt, dicentes, Qui cum eo simul manducauimus, & bibimus. Quemadmodum igitur, cum ante passionem super aquis ambularet, aliud à nostra natura corpus illud fuisse non dicimus, ita post resurrectionem, uidentes id signa clauorũ habuisse, non propterea corruptibile dicemus, propter discipulum hęc ipsa ostẽsa sunt. Audis, quod uulnera sint ostensa, permissione factum, ut discipuli crederent, & corpus Christi omni crassitudine caruisse, & fuisse tam tenue & leue, ut ianuis clausis ingrederetur. Quid dicis ad Chrysostomum? MAR. Primum respõdeo, me nõ audire ex his, corpus Christi fuisse in diuersis locis simul: Et de crassitie, respondeo corpus glorificatũ non carere ea omnino, alioquin non esset corpus humanum, eam tamen habet, qua agile & leue sit, atq; spiritui pareat. Neq; propterea sequitur Christum caru-

Chrysostomus de penetratione corporis Christi ad discipulos ianuis clausis.

Permissio huc spectat quod sine cicatricibus potuisset surgere, et cũ surrexisset, non cogebatur necessitate mãducare

An corpus Christi post resurrectionem caruerit õni crassitię

caruisse sua circũscriptione, quę admodũ quãtitatis ptinet, qua tñ nõ obstante, potuit p suã diuinitatẽ et gloriã ad discipulos penetrare. Atq; in sũma de crassitudine distinguo, uel accipe uis Chrys. qđ eã quidẽ habuerit, sed non talẽ, quæ penetrationẽ Christi ad discipulos impedierit, in quo ego cũ illo consentio. Aut ita putas intelligendũ, quod omni genere crassitudinis caruerit, et hoc nego, neq; Chryso. uerba cũ tali sententia faciunt. Nam ipse aperte cum Euangelista vult figuras clauorũ et crucis asseruatas in eo. Qui autem fieri potest, ut in substantia non quanta, figurę locũ habeant? Cõcedo quidẽ ex permissione fuisse, ut cicatrices in corpore suo sineret, ut palpari uoluerit, comederit et biberit cum apostolis. Nam ista fieri necessarium non fuit, nisi quantum ipse uoluit. Interim non audio ex permissione fuisse, quod habuerit quantitatem, uel in uno aliquo loco fuerit, quę ad corpus necessaria esse contendi. Deinde illud corpus asserit non fuisse aliud à nostra natura. Nostrum uero quantitatem et modum quantitatis habere certissimum est, tantum excipit corruptibilitatem, illiq; ascribit leuitatem & tenuitatem tantam, ut ianuis clausis ingredi potuerit, & crassitudinẽ tantã aufert, quanta potuit impedire illum ingressum, nõ tamen omnem. MOR. Corpus Christi hæsit medijs foribus, crassitudine nõ impediente, ut dicis, ergo tũc erant duo corpora in uno loco. Ad hęc duo respondeo: Primum, quod sacræ litteræ nobis narrant hoc miraculum, ideo facile illis creditur. Verũ quod corpus Christi substantialiter presens sit in multis locis, nusq; docẽt, imo corpori Christi certũ locũ, cœlũ inquã, ad dexterã patris ascribũt, non in

Corpus Christi post resurrectionem habuisse quantitatẽ

Miracula quæ habet scriptura incũctanter admittenda, quæ uero non habet induci non debent, quasi ad fidem p tineant.

uno loco: præterea pugnat cum natura ueri corporis humani, unde nõ admitti debet. Alterum, quod adfero est: In illa penetratione corporis Christi ad discipulos, ui diuinitatis, potuisse quantitatem parietis ita cedere, ut duo corpora non fuerint simul eodẽ loco. Et memini Tertulianũ (quia soletis etiã adducere corpus Christi egressum ex utero uirginis clauso) in lib. de carnis resurrectione, scribere, Christum nascẽdo uuluam matris aperuisse. Quod etiam Cyprian. in expositione symboli affirmat, et Hieron. ad Eustoch. scribit, Christum de utero uirginis cruentũ egressũ esse. Sunt qui existimãt Christum egressum uterum uirginis integrum omnino et clausum. Vt ergo non omnes idẽ sentiunt, quoad hoc, ita ego duplicem tibi dedi responsionem, Vnã, qua penetrationem istam concedo per miraculum, non tamen ita, ut corpus Christi omnem quantitatẽ penetrando amiserit, à simili autem, nõ concedo corpus Christi esse in multis locis, quia hoc non tradit scriptura, sed secus ostendit. Altera responsio est, ui diuinitatis cessisse fores, ut aliqui dicũt, apertum uirginis uterũ MOR. Ad id qđ respondes crassitiẽ uel quantitatẽ parietis uel ianuę cessisse Chro penetrãti ex miraculo, peto abs te, utrum apostoli uiderint cedentes fores? MART. Quid si non uiderint? nihil refert utrum uiderint, an non uiderint, scriptura sancta non affirmat neq; negat. Sed quia factũ narrat, credi oportet: quod uerõ corpus Christi carnaliter aut substantialiter si nul in multis locis esse possit, aut sub accidentibus panis et uini latitet, nullibi tradit. MORG. Ideo hoc interrogaui, quod si cessserunt et apostoli non uiderunt, Christus aperte

An Christus aperuerit uterũ uirginis.

illusit

illuſit ſenſibus, et fuiſſet præſtigiator, quod tu oppugnas, cum negas corpus Chriſti latitare ſub forma panis, ne ſcilicet habeatur præſtigiator aut illuſor ſenſuum: Cum tamen Eraſmus ſuper. 24. cap. Luc. dicat, Corpus Chriſti cum uelit, inconſpicuum eſſe, & cũ uelit, poſſe conſpici. Sed hoc miſſo Aug. in ſer. qui eſt numero .159. eſtq; titulus eius: Dñica in octaua paſchę ſerm. 3. ad Competentes: Miraculum eſt quod Dominus noſter IESVS CHRISTVS in carne uera intrauerit ad diſcipulos per oſtia clauſa. Requiris à me forſitan rationem, & argumentum requiris. Si uera, inquies, caro fuerat quæ reſurrexit, quomodo ipſa ianuis clauſis ad diſcipulos introiuit? Redde mihi, inquit, rationem. O homo, ſi rationem à me poſcis, non eſt mirabile. Si exemplum quæritur, non erit ſingulare. Credis nẽpe dñm Chriſtũ ſuper aquas maris firmis greſsibus ambulaſſe? Credis utiq;, Dicis igitur mihi: Si per oſtia clauſa Chriſti intrauit, ubi eſt corporis pondus? Recedant pauliſper modus & põdus, illę hęc fecit, cui nihil impoſsibile eſt. Chriſtus qui carnẽ ſuã potuit de ſepũlchro producere, nõ potuit clauſis ianuis ad diſcipulos introire? Idemq; Aug. in eadẽ dñic. ſerm. 4. Magnum miraculum, ſed mirari deſinis, ſi Deũ cogitaueris. Mirũ enim eſſet, ſi ſolus homo hoc feciſſet. Refer ad omnipotentiã, nõ ad phãtaſiam. Oſtijs clauſis intrauit. Reſpondeo tibi ut ſcias, quia uera caro fuerat, cicatrices tãgendo monſtrauit. Sed ſicut non eſt, inquis, naturæ corporalis, per ianuã clauſam intrare, ſic non eſt naturæ corporalis ſuper fluctus maris ambulare. Intrauit p oſtia clauſa. Reſponde mihi. Da mihi ſoliditatẽ carnis,

Auguſ. de eadem penetratiõe

Vera caro fuit corporis Chriſti reſuſcitati, ergo quãta quia non poteſt eſſe caro, nõ quanta

Ambulauit ſuper aquas maris, da mihi et tu pondus carnis. Vis noſce et hoc omnipotentię fuiſſe? et Petro dedit, qui quod uoluit dedit, quod proprium erat, ſibi ſeruauit. Ille enim uiuens per ianuas clauſas intrauit, qui naſcendo integritatem matris non uiolauit. Ecce audiuiſti pondus et modum quãtitatiuũ recedere à corpore Chriſti. MAR. Anteq; recitaueris Auguſtini loca, obijciebas: quod ſi ceſsit paries aut ianua Chriſto ingredienti, et id non uiderunt apoſtoli, tunc aperte Chriſtus illuſit ſenſibus. Reſpondeo hoc non eſſe neceſſarium. Potuerunt apoſtoli illum uidere in conſpectu ſibi aſtantem, et modum neſcire quo ad ſe penetrauerit. Quod autem dicis me oppugnare, corpus Chriſti cõſpicuum eſſe, et incõſpicuũ pro ſuo arbitrio, ne uideatur eſſe pręſtigiator & illuſor, dico te decipi, ego hæc non dixi de corpore Chriſti, uerum de pane, quod uideretur eſſe pręſtigiatoris, eius proprietates, formam, ſaporem, colorem, & quantitatem oſtendere, ſubſtãtiam uero ſubtrahere: Nec Eraſmus, quem inducis, contra me facit. Ad Auguſt. autem reſpondeo inſiſtendo priori diſtinctioni, et dico, eum non intelligere, à Chriſti corpore omnem modum quantitatis, & omne pondus receſsiſſe, nã tunc non fuiſſet corpus, ſed tantum intelligit iſta fuiſſe reiecta, quo ingreſſum et penetrationem ad diſcipulos impedire ualuiſſent. MORGAN. Si permittebatur quantitas, & modus eius in corpore Chriſti, ita ut non impediret penetrationem oſtij, ſequitur duo corpora fuiſſe in eodem loco. MART. Nego conſequutionem, quia potuit (ut dixi) locum facere, et cædere quantitas atq; craſsities oſtij. MORG. Si ceſsiſſet

Idem fere habetur ex ſermo. 156

Chriſtus non illuſit ſenſibus apoſtolorũ. Non negamus corpus Chriſti ad eius libitũ conſpicuũ eſſet & nõ conſpicuũ.

A Chriſti corpore reſuſcitato non receſſit omnis modus quãtitatis et omne pondus.

Hieron. ad Pãmachiũ cont. Iohãnẽ epiſco.

ceſsiſſet quantitas oſtij, non opus fuiſſet Auguſtino dicere, ut aliquantiſper cederet modus & pondus: nam toto ſuo modo et pondere ingredi potuiſſet oſtij quantitate uel parietis cædente. Et ſic ego quoq; poſſem reſpondere ad id quod obijcitis ex Auguſtin. ad Dardan. Deinde ais corporis modum & pondus, qua ingreſſum impediebant, fuiſſe abiecta. Sed omnis modus quantitatiuus impedit corpus Chriſti per clauſas fores ingredi. Igitur omnis modus quantitatiuus abijciebatur à corpore Chriſti. MART. Quod aſſumis omnem quantitatem & modum eius impedire corpus Chriſti, ne penetret, minime uerum eſt. Potuit enim per miraculum ac diuinitatem intrare ad apoſtolos, etiam foribus clauſis, ut iam dictum eſt, uel quod fores ipſas aperuerit cum eſſent clauſæ, uel quod ad momentũ illi ceſſerint, et deinde ad priſtinum ſtatum redierint aut quocunq; alio modo, qui nobis è ſcriptura non conſtat; de ſimili facto lege. 5. cap. Actorum apoſtolicorum. At id aperte conſtat, quod omni ablata quantitate, corpus humanum non poſsit ſuam naturam retinere. Corpus attamen Chriſti, et glorificata corpora ſanctorum, non tantam habent craſsitiem, quin tenuia ſint et agilia, ita ut ſpiritui obediant, et quo uelit moueantur. Ad id uero quod ais te poſſe eodem modo reſpondere his, quæ obieci ex epiſt. ad Dardan. ſi reſponſionem aptaueris & explicaueris, quid mihi de ea uideatur indicabo, ſed cum generaliter loqueris, non conſtat quid velis. Et ad id quod affers: Cedẽte parietis, quantitate nõ opus fuiſſe faceſſere pauliſper modum et pondus. non recte rem perpendis. Potuit enim ita cedere quantitas pa

Hieroſolymitanũ dicit hæc de re creaturã ceſsiſſe creatori.

Nõ omnis quantitas, & modus eius impedit penetrationem

Corpera glorificata ſunt tenuia & agilia.

rietis, ut aliqua tamen ſubtilitate & leuitate, ſiue agilitate, opus fuerit corpori Chriſti penetranti: ut cũ ambulauit ſuper aquas, aquæ gradiens corpus ſuſtinebant, uerũ ita, ut aliquod pondus à corpore ambulante faceſſeret. Deinde, ut ſupra iam dixi, hoc miraculum ſcriptura narrat, ita uero fieri in Euchariſtia minime tradit, & hoc meum fuit potiſsimum principium aduerſus tranſubſtantiationem. MOR.

Auguſt. item de eadem penetratiõe

Auguſt. item in tomo. 3. lib. de agone Chriſtiano cap. 24. Nec eos audiamus, qui negant tale corpus domini reſurrexiſſe, quale poſitũ eſt in monumento. Si enim tale non fuiſſet, non ipſe dixiſſet poſt reſurrectionem diſcipulis: Palpate & uidete, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me uidetis habere. Sacrilegum eſt enim credere dominum noſtrum, cum ipſe ſit ueritas, in aliquo fuiſſe mentitũ. Nec nos moueat, quod clauſis oſtijs ſubito eum apparuiſſe diſcipulis ſcriptum eſt, ut propterea negemus illud fuiſſe corpus humanum, quia contra naturam huius corporis, uidemus illud per clauſa oſtia intrare, omnia enim poſsibilia ſunt Deo. Nam & ambulare ſuper aquas, cõtra naturã huius corporis eſſe, manifeſtum eſt, & tamen non ſolum ipſe dominus ante paſsionem ambulauit, ſed etiam Petrum ambulare fecit. Ita ergo & poſt reſurrectionem ſuam, de corpore ſuo fecit quod uoluit: ſi enim potuit ante paſsionẽ ſuam clarificare illud, ſicut ſplendorem ſolis, quare non potuit & poſt paſsionem, ad quantam uellet ſubtilitatem, in temporis momento redigere, ut per clauſa oſtia poſſet intrare? Habes ex Auguſtino, corpus CHRISTI factum eſſe ſubtilius, ut intraret per oſtia clauſa; unde

Tale corpus habuit Chriſtus quale poſitum eſt in monumẽto ergo quantum.

de sequitur, duo corpora simul fuisse in eodē loco, quod non minus est absurdum naturæ, quam idem corpus esse simul in multis locis. MART. Continet in summa locus iste tria capita, Primum, corpus CHRISTI tale resurrexisse, quale fuit in sepulchro, id est uere humanum corpus: quod si uerum est, sine quantitate et modo eius esse non potuit. Alterum caput est, quod CHRISTVS post resurrectionem, de corpore suo fecit quod uoluit, quod facile admitto: sed non dicit eum uoluisse suum corpus absq; quantitate esse, aut in pluribus locis simul inueniri. Tertium est, quod potuit illud ad quantam uellet subtilitatē, in momento temporis redigere, ut per clausa ostia posset intrare: ex qua loquutione, quantitas nō tollitur, sed asseritur: nam subtilitas affectio est substantiæ corporeæ & quantæ, unde quantitatem requirit & aliquem modum eius. Commemoratur præterea CHRISTVM dixisse, Palpate & uidete &c. Quis uero ignorat, quæ palpantur & quantitatem & modum quantitatis habere? Per subtilitatem ergo agilitatem intelligit, sed non eam quæ corpus auferat. Quod autem sequatur, duo corpora fuisse simul, iam negaui, quia potuit quantitas parietis ex parte cedere, addita nihilominus & corpori CHRISTI subtilitate. Deinde patres qui hanc pènetrationem sic affirmant, non habuerunt forte pro tam absurdo in natura, duo corpora esse simul in eodem loco, quam unum corpus esse simul in multis locis. Postremo iam dixi, hunc accessum Christi ad Apostolos ianuis clausis, scripturam narrare, non autem tradere

tradere de corpore Christi quod sit simul in multis locis, vel absq; quantitate, nilq; de ueritate corporis Christi hoc miraculo demitur, nec eius ꝓpria quantitas aufertur. MOR. Non recipio quod postremo dixisti Aug. per subtilitatē intelligere agilitatē, quia illa pertinet ad uelocitatem motus, qualitas uero de qua loquitur August. facit ad penetrationem densorum. Sed nunc ostendam esse donum corporis glorificati, ut se pro arbitrio insinuet per densissima corpora, nā Ambro. super Luc. ca. 24. dicit, Habuit autem admirandi causam Thomas, cum uideret clausis omnibus per inuia septa corporibus, in offensa conpage corpus insertum, et ideo mirum quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infuderit, inuisibili aditu, uisibile conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari: Denique conturbati discipuli, extimabant se spiritum uidere, et ideo dominus ut speciem nobis resurrectionis ostenderet, Palpate inquit, & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeæ qualitatē, imperuia usu, clausa penetrauit. Nā quod tangitur corpus est, quod palpatur corpus est, in corpore autem resurgemus. Seminatur enim corpus animale, surgit corpus spirituale, Sed illud subtilius, hoc crassius, utpote adhuc terrenę labis qualitate concretum, nā quomodo non corpus, in quo manebāt insignia uulnerū, uestigia cicatricum, quæ dominus palpāda obtulit, in quo non solum firmat fidem, sed etiam deuotionem acuit, quod uulnera suscepta pro nobis, cœlo inferre maluit, abolere nō luit, ut deo patri nostrę precia libertatis ostenderet.

Ambros. de eadem penetratione.

Discrimē corporis nostri nūc ab eodē cū resurget, est crassius et subtilius.

Affir-

Affirmat hic Ambros. quod omnia glorificata corpora potestatem habent recipiendi sese per densissima corpora: nam dicit, quod per resurrectionis corporeq; qualitatem imperuia usu clausa penetrauit. Concluditur ergo hinc, corporibus glorificatis tribuẽdum, ut possint, quãdo uoluerint, penetrare uel dẽsissima corpora. et obseruabis quod inquit, lanuis clausis corpus insertum compage inoffensa. MA. Non facit ad meam causam nunc disputare de agilitate, quare quod ad hoc attinet, concedo per subtilitatem, intellexisse Augustinum tenuitatem, de hoc inter nos non contendemus. Verum ad illud te remitto, quod paulo ante dixi, subtilitatem, affectionem esse quanti, et supponere necessario modum quantitatis. Postea respondeo hũc locum Ambrosij nihil cõtra me facere. Nam Christi substantiam, quæ penetrauit ad discipulos, aperte corpoream appellat, & tantum qualitati resurrectionis miraculũ attribuit. Et quod palpatur, & tangitur, diserte ait corpus esse: & inter nostrum quod modo habemus, et futurũ, ponit hoc discrimen, ut illud sit subtilius, & hoc crassius, Christũq; uere corpus habuisse uoluit, propter cicatricum insignia. Non itaq; aufert quantitatem, uel modum eius, sed tantum ostendit quid qualitas resurrectionis possit. Et in hac tua argumentatione duo fuerant declaranda, quę non demonstrasti. Vnum est, nõ cessisse crassitiem uel molem ostij per miraculum. Alterum, quod corpus humanum simul & eodem tempore possit esse in multis locis, hęc assumpseras declaranda, neq; probasti. MOR. Imo primum declaraui, scilicet quantitatem non cessisse, quia inquit Ambrosius, Christi corpus

Quæ proposuerat probanda ex istis locis patrũ nõ probauit.

inoffensa compage insertum. MART. Hic inquit Ambrosius, corpus Christi per imperuia et impenetrabilia aditum habuisse et penetrasse, quod ego concedo, quia penetrari non potuerunt nisi per miraculum, quod esse potuit, ut corpori glorificato moles parietis cesserit, idq; inoffensa compage vel corporis Christi, uel ianuæ, quæ non ui tracta fuerit aut aperta, sed facile et sponte cesserit, suoq; loco sit restituta, ut neq; uis, neq; læsio apparuerit. Et ad hæc, quod in primis quæritur, quippiam huiusmodi factum esse non probas, Patres exposui, qui etiam si trahantur ad tuam sententiam, iam supra quod respondendum sit, aperte docui è scripturis.

Hic iussus est Treshamus iterum agere.

TRES. Optime nosti substantiam præcedere natura quantitatem, igitur non est difficile diuinæ potentiæ, ut separetur & inueniatur sine quantitate. MART. Consideratione metaphysica, scio separari substantiam à quantitate, quandoquidem alia est ratio & definitio unius quam sit alterius. Sed quo ad id, vt extet substantia corporea, & potissimum uerum hominis corpus, non potest fieri, si quantitas auferatur. Et quis ignorat, quod quamuis substãtia præcedat natura quantitatẽ, tamen statim diuiditur per corpoream & incorpoream, & corporea in animatam & inanimatam, & animatum corpus organicum dicitur, & membris instructum, quod sine quantitate impossibile est ut fiat, alioquin daretur corpus humanum sine pedibus, sine manibus, & sine oculis &c. TRESHA. Non

Prius separari potest à posteriori cogitatione, non tamen re ipsa, potest semper ab illo separari.

Non est Deo difficile, ut quod prius natura est, sine posteriore existat. MART. In antecedente debebas accipere Corpus physicum & organicum, omnibus membris perfectum, cuiusmodi fuit corpus CHRISTI, & hoc pacto non est ita prius quantitate, ut sine ea ualeat extare. TRES. Quod non claudit cõtradictionem in terminis, Deus potest efficere. Deinde superiori disputatione asserui-sti, idem non esse signum sui ipsius in eadem hypostasi, illud impugno ex Luc. 2. cap. Euangelizo uobis gaudium magnum, sequetur et hoc uobis signum, Inuenietis infantem pannis inuolutum, et positum in præsepi. MART. Quoad primum respõdeo, quod implicat contradictionem, ut sit corpus organicum, membrisq; perfecte instructum, et quãtitate careat. Deinde quod adfers ex Luca non concludit: nam infans inuolutus in pannis, non fuit signum sui ipsius, sed quod Angelus uera dixerit: Vera autem Angeli verba et CHRISTVS, non habent eandem hypostasim. Et ego superius cũ ista dicerentur, aiebam filium non dici ad Heb. imaginem substantiæ paternę, nisi quoad humanitatem: Nam per antonomasiã illi id competit præ cæteris hominibus, quia cum dicitur: Multipharíam multisq; modis Deum loquutum esse olim patribus in prophetis, nouissime uero in filio, sermo de eo est iam incarnato. Et si omnes homines imagines Dei sunt, id multo magis homini CHRISTO tribuitur. Quomodo etiam secundum diuinitatem, locus ille possit intelligi, exposui, & illa obiter fuerunt tractata. TRESHAM. Quæro abs te, an corpus Christi sit simul passibile & impassibile?

Rursus probare, nullt idem esse signũ sui ipsius.

MAR. Idem respondeo quod prius, ex Vigilij sententia, eandem naturam tam cõtraria simul non recipere. TRES. Probo idem corpus eodem tempore, et passibile fuisse, et impassibile, quia Christi corpus, ut scriptura docet, non necessitate, sed uoluntate fuit passibile. Nam in Iohã. dicitur: Ego pono animam meam, et nemo tollit eã à me. et addo, quod nemo poterat tollere. Ac in Isaia propheta, dicitur, Oblatus est, quia ipse uoluit: fuit igitur passibile uoluntate. Itemq; impassibile fuit, quia si Christus noluisset, nõ fuisset passus, ergo utrumq; simul habuit corpus Christi, prout erat eius voluntas. Sit ergo forma argumenti: Illud corpus est impassibile, cuius anima tolli non potest, nisi ipso uolente, sed corpus Christi ita se habuit ante mortem, ut ab eo animam tollere nemo potuerit, nisi ille voluisset, ergo fuit impassibile. MAR. Distinguo potentiã moriendi, uel non moriendi, quia si eã referas ad uoluntatẽ Christi, utrũq; fuit, quia Christus potuit uelle ut pateretur, et potuit uelle, ut non pateretur, et prout uoluisset, fuisset corpus passibile uel impassibile, sed ipse nunquam uoluit, simul et eodem tempore, nisi unam partem, et sic corpus illud fuit semper uel passibile vel impassibile, et nunquã simul utrumq;, etiã quo ad hoc externum principium uoluntatis Christi. Præterea, si respicias conditiones et qualitates corporis, ita ut de eo quod erat in actu, loquaris, dico necessario, quando corpus Christi fuit cum qualitatibus & cõditionibus passibilibus, non potuisse esse sub impassibilibus, ex istis ad illas permutari poterat, sed ambas simul retinere fuit impossibile.

An corpus Christi fuerit simul passibile et ipassibile.

De

De secunda quæstione, An corpus Christi realiter adsit in Eucharistia.

TRESHAM. Antiquus author Irenæus li. 4. cap. 24. contra Valentinianos, qui auferebãt resurrectionẽ carnis, & Christum negabant esse filium illius Dei qui creauit omnia: Quomodo inquit cõstabit eis, panem in quo gratiæ sunt actæ, corpus esse Domini sui, si ipsum fabricatoris filium negãt? Et mox, Quomodo autem rursus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere uitã, quæ à corpore domini & sanguine alitur? Vnde constare potest, quęnam ecclesię de Eucharistia eo tempore, fides & doctrina extiterit. Sic disputo, Omne illud per quod aliud probatur, certius esse debet eo quod probatur, sed carnis nostræ resurrectio probatur per ueram corporis Christi prẹsentiam in Eucharistia, & probatur Christus esse uere filius fabricatoris huius mũdi. ergo corpus Christi realiter ibi adest, idq; nobis certius esse debet illis, quę p ista probantur. MART. Argumentum Irenæi uerum est, neq; ipsum nego, sed nihil aduersum me facit: Nam panis ille, Eucharisticus panis est, & etiam est corpus Christi, sed quomodo? sacramẽtaliter. Et ut Irenæus cõcludat aduersus hæreticos, qui negabant Christũ fuisse filiũ dei fabricatoris huius mundi, sumit Christum accepisse panem, qui cum sit à Deo creatore huius mundi, usurpasset Christus alienam creaturam. Ad propositum itaq; Irenæi, satis est ponere panem huiusmodi creaturam, uere in sacramẽto locum habere, ne Christus uideatur usurpator alienę creaturæ, si dicatur filius alterius Dei à crea-

Argumentatur ex Irenæo.

tore mundi huius. Vt autem cognoscamus quid Ireneus de Eucharistia senserit, consideremus eum scribere, corpora nostra ali, nutriri, consistere, & augeri Eucharistia. Quę ita uera sunt, ut intelligamus duplex nutrimentum nobis ex hoc sacramento prouenire. Vnum est naturale, à symbolorū natura pane & uino, quibus usu communi alitur humanum corpus, cui generi nutrimenti, etsi nō aspernandum sit, non tamen multum tribuit Ireneus, & alij ueteres. Alterum est, quod dum percipimus sacramentum, animo & fide cōplectimur Christi corpus & sanguinem, & ibi primum nostra mens impletur spiritu & gratia, deinde corpus reparatur, ut organum sit & instrumentū indies spiritui magis idoneum, & ita resurrectionis beatæ redditur magis capax, & hoc clare expressit Irenæus quando inquit: Panis à terra uocationem Dei percipiens, non est amplius communis panis, sed efficitur Eucharistia ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti, sicut corpora nostra percipientia Eucharistiam, non sūt amplius corruptibilia. Et hoc pacto uerę nostrę resurrectionis futurę, ex eucharistia rationem affert.

Ex eucharistia duplex nutrimentum habemus.

TRES. Quod dicas Irenęum panem hic nominare, & ideo utrumq; uelle, & ipsum et corpus Christi in Eucharistia esse, & ista optime ualere, ut sit firmum argumentum eius contra Valentinianos, non mihi satisfeci sti. Nam quo sensu litterę sacræ nominant panem in hoc sacramento, illo eodem loquitur & Ireneus. Isq; apertissime dicit, corpus Domini uerum in Eucharistia esse, et panem ideo nominat, uel quia fuit panis, uel quia retinetur species panis. MA. Concedo sane, quod eodem sensu loquitur Ireneus de pane

de pane quo & sacrę litterę, & ideo ita ab ipso, ut ab illis hic remanere conceditur. Quod uero dicat, in pane esse corpus Christi, ut uos ponitis, in uerbis eius nequaquam ostendes. Et panem, eo sensu quem tu ponis, à scriptura nominari, iam sępius refutaui.

TRES. Chrysost. hom. 61. ad Populum Antioc. & super Io. Hom. 45. habet. Vester ego frater esse uoluí, & communicaui carnem propter uos & sanguinem, et per quę uobis coniunctus sum, ea rursus uobis exhibui. Vnde rursus patet, carnem et sanguinē per quæ noster cognatus factus est, in Eucharistia tradi. MART. Carnem Christi exhiberi communicantibus in Eucharistia, concedo, disputatur autem de modo, quē ego pono spirituale: neq; propterea intelligo fictitiā carnē nos percipere, neq; fictitium corpus, sed in sacramēto, & per fidē nos ista uere sumere, & illis uniri. TRES. Quod tu dicis, spiritualiter, non est in his uerbis Chrysost. & per fidem sumere possumus etiam absq; sacramento. MART. Licet Chrysost. hoc loco diserte non scribat, spiritu aliter, attamen id satis alibi expressit, quando ait: Quę dantur nobis intelligibilia esse. Et quod objicis, perceptionem corporis Christi per fidem, posse etiam absq; sacramento haberi, admitto. Nam & cum symbolis, & absq; symbolis, dum recolimus Christum pro nobis crucifixum, et sanguinem eius pro nobis fusum, atq; ita credimus, eius uerè efficimur participes: verum symbolis adiunctis, quibus ut instrumentis, spiritus sanctus utitur ad fidem magis imprimendam animis nostris, plurimùm adiuuamur. Sumus enim ad diuina tardiores, & idcirco nobis opus est externis symbolis.

Chrysost.

Intelligibilia sũt quæ dantur nobis in eucharistia.

Et cũ symbolis et absq; symbolis participes sumus corporis & sanguinis Christi.

Dispu-

Disputatio quartæ diei, habita inter Doct. Gulielmum Cheadzeum, qua opposuit Doct. Petro Martyr, die prima Iunij.

Præfatio D. Gulielmi Cheadzei.

VERVM esse comperio, & certo certius experientia edoceor, quod habet Gregor. ille Nazianzenus, cognomento Theologus, lib. 3. de Theologia. Τὸ μὲν ἐπίσημον ὃ μέγα, ῥᾴστον γάρ, καὶ τῷ βουλομένου παντὸς· τὸ δὲ ἀντεισάγειν, τὴν ἑαυτοῦ γνώμην ἀνδρὸς εὐσεβοῦς ἐστι καὶ νοῦν ἔχοντος. Alienam sententiam explodere, non magnum, imo facillimum cuiuis, suam uero contra probare, uiri est plane cum pĩ tũ prudẽtis. Nam si nudis uerbis res agatur, eueniet quod uere dixit argutus ille dialecticus apud Niceam: Donec uerbis agitur, uerba uerbis opponuntur, et quę dicuntur, dicendi arte subuertuntur. Si ad sensus examen prouocetur, reclamabit Paulus, Animalis homo, non percipit ea quæ sunt spiritus dei: Stultitia enim est illi, nec potest intelligere, quia spiritualiter examinantur. Si ad rationem & profundam sapientiam appelletur, mox dicetur: Sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanę sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus et uirtutis, ut fides nostra non sit in sapientia hominũ, sed in uirtute dei. Propterea in re tam arduа disputare, & rationibus probare, quod sola fide & credulitate esset tenendum, periculosum est, & sine singulari dei dono, nemini concessum. Maxime, ut est illud Hiero. ad Paulinum, ubi inter eos disputatur, qui ad scripturas sanctas, post seculares literas uenerint

rint, et ſermone cõpoſito aurem populi mulſerint: Quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignãtur, quid Prophetę, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia. Quaſi grande ſit, & non uitioſiſsimum dicendi genus, deprauare ſententias, & ad uoluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem: ibi tropum agnoſcere, ubi nullus eſt tropus, ibi figuram fingere, ubi ueritas eſt, eò trahere omnia, quo tendit affectus. His uerè competit, quod habet Auguſt. de doctrina Chriſtiana lib. 3. cap. 10. Si animum preoccupauit alicuius erroris opinio, quicquid aliſ aſſeruerit ſcriptura, figuratum homines arbitrantur. An hoc non eſt ſeruire affectui? Cum apertis uerbis ſcriptura dicat, Hoc eſt corpus meum, interpretari. hoc ſignificat corpus meum: cum patres aſſerant ueram carnem & uerum ſanguinem, gloſſare, ſpiritualiter, aut loqui patres hyperbolicę: cum panem tradant non effigię, ſed natura mutari, ad uſum tantum ſacrum rẽferre? Sed ſcripturas inducunt? non, ſed ſcripturas obtẽdunt, ut inquit Tertul. et haciſua audacia quoſdam mouent, in ipſo quidem congreſſu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Nobis ergo ſedulo agendum eſt, ut aperiantur oculi noſtri, precibus impetrandum, ut qui author eſt ſcripturarum, idem ſit & interpres, idem aperiat ſenſum, ut intelligamus ſcripturas. Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Sic pro uerbis, procedet uirtus, pro ratione, fides, ut non fluctuemus omni uẽto uerbi, ſed in eo uerbo radicati & inſiti, quod poteſt animas noſtras ſeruare. Et ut hoc eueniat, conſueta mea oratione mecum apud ſanctum

Hoc ſacræ litteræ, natura ſacra mẽti et patres docẽt

ſpiritum agite. Veni ſancte ſpiritus, Deus qui corda fidelium. MAR. Quæ in prologo ſatis aculeato iam dixiſti, quam parũ in me quadrent, non tentabo exponere. Hoc duntaxat admonebo, ſanctas ſcripturas me nunquã aut inuertiſſe aut uitiaſſe, vt qui nec etiam confinxerim tropos, ubi locum nõ habẽt, neq; nouos inuexerim, ſed uſitatos, et quos ferè omnes patres agnoſcunt. Verum in his refutandis tempus nolim conterere. Sunt enim complura mihi dicenda pro confirmatione mearum quæſtionũ, uti de more fieri conſueuit, ab his, qui ſunt in diſputationibus reſponſuri, ne uideantur abſurda tueri: Quibus etiam poterit agnoſci, quam parũ ſpectent ad meam ſententiam, quæ tu præfatus es. Heri ſane conſtitueram id facere, ſed quia neſcio quo caſu coactus ſum agere cum alio antagoniſta, atq; decretum fuerat: uiſum fuit, ut ab eo me cito expedirem & cum ordinario diſputarem, hęc tunc miſſa facere, et in hodiernũ diem reiſcere. Vt autem fœliciter ſuccedat incęptum, quemadmodum hactenus conſueui, dei auxilium implorabo.

PRECES.

AGnoſcimus, omnipotens Deus, infirmitatem noſtrę mentis, ideo ad tuam veritatem et cõtemplandam et explicandam, non audemus accedere, niſi prius, ut par eſt, nomen tuũ inuocauerimus. Rogamus itaq; ardentiſſimis uotis, ut qua præditus es bonitate, tenebris noſtris lumen infundas, et beneficio tui ſpiritus, quæ dubia inciderint ſic illuſtres, ut credẽtibus uia ſalutis, quã manifeſtiſſime pateſiat, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Con-

Confirmationes primæ quæstionis.

A D quæstionem primã confirmandam, prẽter eas rationes quas audiuistis inter disputãdum elapsis diebus, & has modo adijciã: In Baptismo, Christũ nobis uere tradi Paulus testatus est ad Gal. quãdo scripsit: Quotquot baptizati estis, Christũ induistis. Et in epist. ad Rom. per Baptismum ostendit nos Christo inseri. Et in priore ad Corint. hæc duo sacramenta coniungit, cum dicit, nos baptizatos in unum corpus, & potatos eodem spiritu. Nec tamen ulli dicunt ad Christũ uere accipiendũ in baptismo, opus esse transubstantiatione, unde consequitur eã quoq; in Eucharistia esse superuacaneã. Neq; facile est ut dicatur, prẽstãtius Christũ nobis tradi in Eucharistia q̃ in Baptismo, quãdoquidẽ in eo regeneramur per Baptismum, et in eo cibamur per Eucharistiã. Nemini autẽ dubiũ est, plus nobis adferre substantię generationem, q̃ nutrimentũ. Mitto quod Hieron. scripsit ad Edibiã, nos in baptismo corpore et sãguinẽ Christi uesci. Et Aug. ait, corporis et sãguinis Christi nos effici participes per baptismũ, etiam antẽq; panem domini et calicem bibamus.

Prima ratio à baptismi sacramento.

Christus tam nobis traditur in baptismo quã in Eucharistia.

Secunda.

Altera ratio, Vt Christus dixit, Hoc est corpus meũ, ita etiam dixit, Vos estis corpus Christi, per os Pauli. Et tamen ad hoc ut uere efficiamur corpus Christi, transubstantiatio non requiritur: Cur igitur non erit uerum de pane, quod sit corpus Christi, nisi intercedat transubstantiatio? Imo si quis rem bene uoluerit expendere, magis nobis q̃ pani coniungitur corpus Christi, quia quod panis habet, id circo habet, ut nobiscũ Christus per ipsũ cõiũgatur

Nos sumus corpus Christi et in ipsum nõ trãsubstãtiamur.

Nos magis sumus corpus Christi q̃ panis.

et uerba per quę panis ad ſacramentum deducitur, magis ad nos pertinent, quam ad panem, qui ſenſu et fide omnino caret. Deinde periculoſum eſt per tranſubſtantiationem ſenſibus illudere, quia tunc perit probatio ueræ Chriſti reſurrectionis, quam apoſtolis exhibuit dicens: Palpate & uidete, quoniam ſpiritus carnem & oſſa non habet. Et Martionitæ, facile dixiſſent Chriſtum non habuiſſe uere humanum corpus, ſed tantum eius accidentia & figuram, ſicuti uos de pane dicitis, non eſt panis, quã quam ita uideatur quo ad eius proprietates: & externam formam. Patres etiam ſe exiſtimarunt efficaciter probare Chriſtum fuiſſe uerum hominem, ex humanis affectionibus et proprietatibus, quas de eo ſcripturę produnt, quod uidelicet eſurierit, ſitiuerit, fatigatus ſit, doluerit, admiratus ſit, & alia huius generis. Quæ argumenta exemplo ueſtræ tranſubſtantiationis negari poſſent, & dicerent hæretici: Sicuti non ſequitur: In ſacramento Euchariſtię ſunt proprietates panis & uini, igitur ibi uere eſt ſubſtantia panis & uini: ita non ſequitur, in Chriſto fuerunt proprietates & affectiones hominis, igitur uere habuit ſubſtantiam humanam: atq; ita grauiſsimis erroribus aperietur feneſtra. Præterea, hac ſua tranſubſtantiatione non neceſſaria, peruertunt rerum naturam, cum à ſubſtantia & proprio ſubiecto abſtrahunt accidentia, quod longe plus eſt, quam ſeparare ſubſtantiã à quãtitate, quod etiam ſupra, ut eſt eorum audacia, facere contendebant, quandoquidem accidens poſterius eſt ſubſtãtia. Nec audimus antiquos patres, huius tam ſtupendi miraculi facere alicubi mentionem, cumq; eſſent eru-

Tertia.

Tranſubſtantiatio Martionizat.

Euertuntur argumẽta quibus patres probãt Chriſti uerã humanitatem ab eius proprietatibus.

Quarta ratio.

Peruertitur ab illis ordo naturæ ſine neceſſitate accidentibus auſe

eruditi & probe intelligerent, quid ſubſtantia, quid ue accidens definiatur, rem tantam minime fuerant ſilentio prætermiſſuri. Nazianzenus miracula à Chriſto ædita carmine cecinit, & Auguſtino tribuitur liber de mirabilibus ſcripturæ ſanctæ, neq; ibi accidentium ſeparatorum à ſubiecto, fit ulla memoria. Accedit, idem fuiſſe comedens et comeſtum, nã Chriſtus cum apoſtolis in cœna cõmunicauit: Igitur ſecundum iſtos, realiter et per tranſubſtantiationem manducauit ſeipſum. Fac etiam in illa cœna, quã Chriſtus primam celebrauit cum apoſtolis, aliquid reliquiarũ ſuperfuiſſe tranſubſtantiati panis, quod reſeruatum fuerit in diẽ craſtinũ, quãdo Chriſtus eſt crucifixus & mortuus: Nõne corpus in illo pane fuiſſet anima & uita priuatum? ſi neges, conſequitur idem corpus ſimul & eodem tempore mortuum fuiſſe & uiuens: Quod ſi dixeris, in pane quoq; obiiſſe, tunc ſequitur mutationem in eo factam, & quidem realem ac naturalem, quæ omnia in eo pane locum habere nõ poſſunt, ut ſcilicet ibi & crucifigeretur & uulneraretur: nam ad hæc non ſolum quantitas, ſed & modus quantitatis requiritur, quæ à corpore Chriſti in Euchariſtia magna cõtentione remouent. Et ſi multũ panis, et bona copia uini trãſubſtantiaretur à ſacrifico, qui ea comederent & biberent, profecto implerentur, nutrirentur, illisq; uenter diſtenderetur: atq; hæc omnia tribuent iſti uiri accidentibus. Si comburatur euchariſtia, cineres apparent, ſi putreſcat, ebulliunt uermes, atq; ita ſubſtantia fit ex accidentibus. Sed tamen, ut audent quiduis, confingunt deũ creare ſubinde nouas ſubſtantias, quæ ſuccedũt accidentibus, uel præteritas p

rum ſubiectum & corpori locum.

Quinta.

Idem comedit ſeipſum.

Sexta.

Abſurda multa ſequuntur ad tranſubſtantiationem.

mira-

miraculum reuocant, atq; miracula miraculis coacer uant. Nam si mures arroserint conseruatum hoc sacramentum, quid comedent? dicunt accidentia. Sed quomodo non & corpus Christi, cum ipsum alligent accidentibus quoad salua permanserint? quibus corruptis, corpus quoq; Christi inde auferunt. Sed quo abit discedens? num in cœlum? at ibi iam est & antea fuerat, qui potest eo abire? Si esse desinat, igitur destruitur & corrumpitur, quod à corpore glorificato multum abest. Contigit quandoq; & uomitus, post communionis perceptiõem, ut Cyp. testatur de quadam puella, & inquit potum in sanguinẽ cõsecratũ, erupisse ex eius uisceribus. quid ibi fiet de sanguine Chri? Et quãdo aiũt, panẽ in corpus Christi trãsubstãtiari, & ita trãsubstãtiari, ut ibi nõ sit localiter: ab eis quærimus, spatiũ aut locũ à substãtia panis relictũ, quid nã impleat, aut occupet? Nã si hoc nõ datur corpori Christi, uacuũ remanebit, & nulla re solida implebitur. Atq;, præter id qđ accidentia destituũt proprio subiecto, ut nihil desit ad prodigia, tribuunt illis, ut negare non possunt, uarias actiones & passiones, cũ tñ requiratur inter agens et patiẽs eiusdem materiæ cõmunio. Et cum fractio in hoc sacramento aperte conspiciatur, aiunt se frangere accidentia, quod Mathematici de sua quantitate per cogitationem abstracta dicere non auderent, se uidelicet eam realiter posse diuidere. Et Platonis Ideę, prout eas Aristoteles insectatur, minus habent absurdorum, quam hoc figmentum transubstantiationis secum ferat. Sed quid? omnia soluũt, miraculis. Verum ita unicuiq; facile esset agere theologũ, si per miracula omnia soluenda essent argumenta, et potissi-

8. *Relinquũt spatium uacuum.*

9 *Quomodo ibi actio uel passio cum materia subducatur?*

Fractio quomodo est ablato pane?

potíssimum cum sit dogma theologicum. Non esse multiplicanda miracula absq; necessitate, quam hic nullam potuerunt unquam demonstrare.

Confirmationes secundæ quæstionis.

FINIS comedendi Christum, atq; suscipiendi hoc sacramentum, est, ut uiuamus, habeamus uitam æternam, non moriamur, Christus maneat in nobis, & nos in ipso, quemadmodum testatus est Christus in Ioan. ca. 6. Cæterum hæc beneficia, atq; cõmoda, tam bene haberi possunt, ponendo coniũctionem corporis Christi cum pane & uino per significationem sacramentalem, quam si statuamus realiter uel substantialiter ipsũ delitescere in symbolis. Nã id nihil adferet nobis gratiæ uel spiritꝰ, uel ĩstaurationis, qđ à Chro existẽte in cœlo, et fide à nobis pcepto, non possumus abũde cõsequi. Nõ enĩ potẽtior est in symbolis latitãs, q̃ regnãs in cœlo. Neq; præterea cẽsenda erit cõmunio superuacanea, quoniã et absq; illa possumus Christũ comedere: nã etsi hoc liceat ubicũq; facere, nihilominus, ut est nostra infirmitas, ope & auxilio symbolorũ adiuuamur, et de sumẽdis eis expressũ habemus Christi mãdatũ.

Prima.

Commoda & beneficia huius sacramẽti tam habentur absq; præsentia reali quã cũ ea igitur superfluit.

Deĩde repudiãda est ea mãducatio quã Christus cõfutauit, sed carnalem sui corporis mãducationem cõfutauit. quando egit cum Capernaitis, igitur est auferenda. Neq; iuuat, si dixeris Capern. ideo reprehensos, quod existimarint corpus Chri dilaniandũ et discerpendũ, quasi more ferarũ, inuitarẽtur ad esum humanæ carnis, quę cedẽda esset et erogãda ut fit in macello, nam hoc soletis prætexere. Non enim refert, an per frustra, an totũ simul integrũ corpus Christi

2.

Christus confutauit mãducationem corporis sui carnalem.

Christi edatur ad carnalem comestionẽ inducendã. Neq; enim uerum est, quod sit spiritualis esus, si totum corpus manducetur, & carnalis, si per partes concidatur: nam secundum hanc distinctionem, bellua marina ingens, quæ Ionam deuorauit, comedisset illum spiritualiter, quia totum uno transmissu deglutijt. Aperte docet Christus, aliter se accipere spiritualem manducationem, cum ascensum in cœlum illis proposuit, eo enim demonstrauit, se de manducatione egisse, qua rem absentem loco & substantia, possumus fide comedere. Et uti Nicodemum reuocauerat ab externa & corporali generatione ad spiritualem, quam animo et interiori homine assequimur, Samaritanamq; subuexit à corporali & externa aqua ad potum, quo animi nostri reficiuntur, spiritu sancto inquam: Ita Christus Capernaitas, qui de sua carne exterius & carnaliter comedenda iam cogitabant, docuit eam manducationem, quam aĩo percipimus, et fide cõplectimur. Prẽterea, nõ minus accipimus corpus et sanguinẽ Christi in uerbo dei, quam in hoc sacramento: Quid enim sũt aliud sacramẽta Aug. testimonio, quã uerba uisibilia? Imo idẽ Aug. ut habetur de consecr. distinct. 2. cap. Interrogo uos, ait: Non aliquid minus esse uerbum Domini, quam Eucharistiam. Hieron. item in ecclesiasten attestatus est, nos in sacris litteris carnem Domini manducare, & cruorem eius bibere. Orig. idem scripsit super Math. tractat. 25. & in numeros homi. 26. Chrysost. super Ioan. Ho. 45. & Basilius epi. 141. Quin & ipsa ratio suadet: Nam quod habet panis in sacramẽto fructus aut gratiæ, per uerbũ adipiscitur Et ad hęc, uerba clarius quam symbola, & exprimunt

Aliud simile.

Nõ minus accipimus Christum in uerbo q̃ in Eucharistia.

Tertia ratio.

munt & significant sacramenti rationem: Cum itaq; non ponatur corporaliter & realiter in uerbis hærere corpus Christi, cur magis in pane aut uino id constituemus? Huc accedit, quod in prima Ioan. capit. 1, habemus, nos emundari & ablui sanguine Christi, quod sane fit, quoties ad illum nos conuerti mus, & fide et pœnitentia ad illum redimus: neq; tamen oportet, ut quoties abluimur, præsens nobis realiter & corporaliter adsit, sed satis est, ut mente fideli capiatur: Vnde poterit etiam comedi corpus Christi & sanguis bibi absens, quando præsentia realis tam uidetur exigi ad abluendum, quam ad comedendum & bibēdum, si naturaliter & crasse ista intelligamus fieri. Verumtamen est aduertendum, quando dicimus corpus & sanguinem Domini fide percipi, nos ista non ponere omnino abesse, efficiūtur enim ui fidei, & spiritualiter nobis præsentia. Dicit enim Paulus ad Ephe. Iam nos cōsedisse cum Christo ad dexteram Dei in cœlestibus. Idemq; ad Rom. ait, nos spe saluos factos esse: & ad Gala. ait: Quibus ob oculos præscriptus est & in uobis crucifixus. Postea scriptura sancta nobis tantum commemorat geminum CHRISTI aduentum, primum humili forma ad redimendum, alterum gloriosa ad iudicandum. Vos autem confingitis singulo quoq; die infinitos: Nam ubicunq; missa tur, aut fideles communicant, statuitis realiter & substantialiter corpus CHRISTI adesse, cui tamen nec formam humilem conceditis, nec; tribuitis gloriosam, sed medio quodam modo symbolis sacramentalibus alligatis, de quo nec scripturæ loquuntur, nec; ulla efficax ratio adfertur.

4

Tā requiritur præsēs sāguis ad abluendum nos q̄ ut à nobis potetur.

Vi fidei corpus & sanguis efficiuntur presentia non tamē corporaliter aut substātialiter.

5.

Tātū scriptura tradit duplicē aduentum Christi.

6. Ratio sacramenti magis cõseruatur ĩ significatione quã in præsentia corporali Postrema ratio.

Item cum cœnam domini sacramentum esse omnes cõsentiant, et sacramenti definitio sit, Visibile signũ inuisibilis gratię, patet, nos magis eius rationem cõseruare quam uos, credimus enim coniungi corpus Christi symbolis per significationem: quicp uel trãsubstãtiationem uel corporalem præsentiam adseritis, non effugitis quin tam impij & infideles Christũ comedant: Quod ut sit absurdumiam, demonstratum est. Postremo, quando scriptura sancta nobis aliquid generaliter credendum proponit, cõuenit, ut nos illum modum nobis deligamus (si quis est deligendus) qui sit facilior et expeditior, nec auocet homines, sed potius manuducat ad fidem, atcp ad eum minora pauciora cp consequantur absurda, nec miracula multiplicentur. Id autem uos minime prestatis, qui modos delegistis ad quos tuendos infinitis opus est miraculis, et absurda concurrunt sine modo. Et hæc quo ad confirmationem duarum propositionum quæ agitantur, uolo sufficere. Verum antecp aggrediaris mihi obijcere aliquid, uolo bona fide prestare, quod tibi sum pollicitus cum incipiebas contra me agere, in altera nostra disputatione. Suscepisti enim in tuo procœmio quandam prouintiam, quæ tibi non erat necessaria, uidelicet ut ostenderes solutiones, quas oportuisset adhibere argumentis quæ ego obieceram Doctori Tressamo, cum quo pridie eius diei disputaueram, & illis dixeram non fuisse satisfactum. Argumentum meum ex Cypriano istud fuerat: Sicut in persona Christi humanitas uidebatur, & latebat diuinitas, ita sacramento uisibili ineffabiliter diuina se infudit essentia, &c. Vnde concludebam: sicut in Christo

Regula de his quæ generaliter nobis credenda proponuntur in script.

Ad solutiones argumentorũ quas isti supra in luxerant.

De argumento ex Cypriano

CHRISTO manſit integra humanitas, ita in ſacramento eſſe conſeruandum uerum panem.
Conatus es reſpondere collationem Cypriani non debere accipi quo ad integritatem duarum naturarum in CHRISTO, ſed quo ad latentiam, nimirum quod ſicut in homine Chriſto latebat diuinitas, ſic in accidentibus, id eſt in ſpecie & forma panis, lateat corpus CHRISTI. Hanc arbitraris argumenti eſſe ſolutionem, ſed re uera non eſt, quia ſcopus Cypriani in iſta collatione, non fuit latentia, ut ipſe fingis. Cæterũ ab eo exprimitur ſatis manifeſte, cum inquit: Vt eſſet religioni circa ſacramenta deuotio, et ad ueritatem cuius corpus ſacramenta ſunt, ſyncerior pateret acceſſus.
Pro me autem quàm uerba eius faciant, conſideres: Sacramento, inquit, uiſibili, diuina ſe infundit eſſentia, quod ſi ſe illi infundit, naturam eius non excludit, ut uos fingitis, imo potius conſeruat, etenim quæ infunduntur alicui, nequaquam ipſum perdunt. De latentia uero quam cauſaris, ego quoque illam habeo cõmunẽ tecũ, nã corpus Chriſti quod ſignificatur ſacramento, nequaq; in illo uidetur, ſed latet, ſicuti in ſcripturis dicitur latere ſenſus ſub litteris. Latentiam ergo tuam, & ego habeo, ſed tu naturarum integritatem prorſus reijcis, quam Cyprian exprimit. Ad id uero quod poſtea inducis de Athanaſio, idem ſentio quod et tu reſpondes, nõ debere ſimile tenere, quod ad omnia, ſed tantum quo ad illa quę exprimuntur: Videas itaq; Athanaſium aperte dicere, Chriſtum ex duabus naturis conſtare, & ſimile adducit de homine qui duabus item rebus componitur: hucuſq; tenet ſimilitudo,

non ulterius extẽdi debet. Ita Cyprian. exprimit diuinam essentiã se infundere sacramẽtis: Vt in persona Christi uidebatur humanitas et latebat diuinitas, nil dico, quod ipse non habeat, nil accipio, quod ipse non offerat, nil exterius accerso, tãtum dico una cũ eo hæc duo in Eucharistia haberi, scilicet diuinã essentiã quę infunditur, et sacramenta quibus infunditur. Tu uero hic alia inducis de separatione diuinitatis quæ non sunt ad propositũ. Qđ si diuina essẽtia ꝑdat sacramẽtorũ naturas atq; substãtias quibus infũdit, tũc simile de Chr̃o prsus locũ nõ habet. Ad Gela. uero quem citaueram, respõdes, illum partim fuisse Nestorianum, & partim non, et aiebas non sequi: Is non fuit ex toto Nestorianus, ergo ex parte non fuit, ideo subdebas licuisse eum negare, sed tamen confingebas apud eum quod scribitur (Non desinere substantiam uel naturam panis & uini) habere secum interpretationem: quoniam adiectum est: (Permanent tamen in suæ proprietate naturæ) id est in accidentibus, quæ habent nutriendi facultatem, retinent eundem saporem, eandem figuram, & colorem. &c. Sed hoc non est diluere argumentum: Quod enim primum insimulas Gelas. hæreseos Nestorianæ, mihi est nouũ & inauditum, non laborauit iste uir ea infamia. Tua præterea expositio, quod panis & vinum sentiat manere, in suæ proprietate naturæ, id est in accidentibus, aliena est; nam per proprietatem naturæ non intelligit nisi propriam naturam, quam substantiam appellamus: Et hoc demonstro, quia si tua interpretatio admittatur, tunc prorsus inefficax est argumentum Gelasij. Nam contra Eutychem agit, qui volebat

De Gel.

Legas eius epłas synodales, legas Plat. legas Trithem. et sẽper legis fuisse & sãctißimũ & fidelißimum põtificẽ Gelasium.

lebat corpus Christi non mansisse, uerum in diuinitatem conuersum: et argumentatur à natura sacramenti Eucharistiæ, quod uult habere duas partes, nimirum panem & uinum, quæ symbola sunt & res sacramenti, id est corpus & sanguinem Christi, & ratiocinatur. Si duo hęc integra manent in sacramento, ergo & in Christo sunt duę integrę naturæ: unde, uos cum per transubstantiationem auferatis panem, & accidentia substituatis, argumentū prorsus eneruatis. Nam & Eutyches concessisset, ablata corporis Christi substātia & in diuinitatem conuersa, eius accidentia supereſſe, ut homo uideri possit, cum tamen reuera homo non sit. Nec aduersatur q̄ ex Augustino citas, Christum eadem carnis forma atq; substantia uenturum, quemadmodum ire uisus est in cœlum, quasi substantiam ibi proprietates intelligat & accidentia, quod neutiquam uerum est, imò contra te facit, nam uult ibi Augustinus, cū uera humanę naturę substantia Christū uēturum, nec alio pacto accepit Gelas. manere substātiā panis. Deinde locū ex sētētijs Prosperi, Sicut Chri q̄sona cōstat ex deo et hoīe, cū ipse Christus uerus sit Deus, et uerus sit homo, quia omnis res illarū rerū naturā et ueritatem in se continet, ex quibus conficitur &c. Conatus es elludere, dicendo, Sacramentum esse illud externum quod apparet oculo, rem autem sacramenti corpus Christi, nam ibi Aug. uocat (ipsum et non ipsum) Inutilis est respōsio, quia ex Augustino rursus habes quod ex Cypriano & Gelasio audiueras, uidelicet idem contingere huic sacramento & Christo, nimirum ut ex duabus ueris naturis constet. Et oportet, ut diligēter uerba expēdas quibus

Ad Aug.

bus dicitur: Quod omnis res illarum rerū naturam & ueritatem continet, ex quibus conficitur, confici autem hoc sacramētum ex pane & uino quis dubitat? Vnde si contineat istarum rerum tantum accidentia, non continebit, ut dicit Augustinus illarum rerum naturam & ueritatem. Ad Augustinum uero ad Dardanum, quod oporteat Christi corpus esse in uno loco certo, propter ueri corporis modū, aiebas respondendum, quo ad humanam formam, sed in uisibili specie, ut est in sacramento, posse esse in multis locis. Hic quoq; nihil respondes. non enim mihi expēdis illa uerba, (propter ueri corporis modum) nam substantia quę caret modo corporis, non est uerum corpus, & ita in Eucharistia non ponetis uerū corpus Christi. Deinde non recenses plene argumentum meum, ex Epist. ad Dardan. nam dicebā, Cum Augustinus non audeat tribuere animę Christi, ut simul & eodem tempore potuerit esse & in inferno, & in paradiso, hoc est in cœlo cum latrone, quomodo id corpori concedemus, quod non est spiritus, quemadmodum anima? Hoc meum erat argumentum, quod adhuc & inuictum et insolutū manet. De Theodoreto, asseruisti eum habere eundem sensum, cum dicit: Panem non mutare naturā, quem alij patres habent, cū aiūt, Panis et uini manere naturas: Intelligūt enī proprietates: id est accidētia. Hoc etiam q̄ nihil ad rē faciat, ad ea te remitto, quę dixi mus de Gelas. Nā utriq; agebant contra eundē Eutychem, & nihil cōcluderēt, si p substātia uel natura panis quam dicunt manere, intelligerēt accidentia. Atq; ita exponimus Theod. ut consentiat cū omnibus aliis patribus, à quibus p culdubio panis in Eucharistia

Ad epłam ad Dard.

Gēsidius Theodoreto bonū testimonium reddit.

De Theodoreto habes dibi et in 12. hist. Tripart.

charistia retinetur. Fatebaris postea uera esse quę Ad Origē
rig. habet in fragmētis, sup Mat. c. 15. Quod scilicet materiale panis huius in secessum uadat, & aiebas ip sum se interpretari, iubēs, ut nō inhæreremus carni et sanguini, sed reciperemus sacramentum uerbi. Et ita inferebas uerti hoc symbolum in cineres malis, sanctitate transeunte, ut Cyprianus loquitur. Miror te distinctionem hic facere bonorum et malorum, cum generaliter loquatur Origines de materiali huius panis, et uelit Christi uerba ostendere uera esse, cum dixit: Quod intrat in os, non coinquinat hominem, sed in uentrem mittitur, et in secessum uadit. Mouerat sane quæstionem, quomodo hoc uerum esset de pane Domini quod in secessum uadat: Responsio eius est, hoc intelligēdum esse quo ad materiam, non autem quoad sāctificationem. Tu autem uideris statuere hoc tantum intelligendum esse quoad malos, et ponis simile esse ei quod Cyprianus refert de conuersione in cinerem. Vbi quæro ex te, quid sit illud quod in cinerem conuertitur: non corpus Christi, quippe nefas esset, non accidentia, nisi uelis ea patere substantiam. Scio confugies ad miracula, hoc est Deum creare nouam materiam, uel pristinam redire facere: sed ista nunquam cogitauit Orig. cuius iam ex me planam sententiam audiuisti. Quodq; adducis ex Cypriano, miraculum fuit, ac proprie ab eo potuit dici, ut fieret cōuersio in cineres, quia ille panem retinet, qui cōuerti p miraculum potuit: Sed uos cum remoueatis panis substāti ā, nihil habetis q; dicatis cōuerti uel in cineres, uel in excrementa: unde si uelitis nouam materiam creari, ibi non debetis cōuersionē, sed creationem statuere.

Demum

Demumq; ut dixi, ſententia Origenis eſt uniuerſalis, tam bonos quam malos reſpiciẽs. Irenæo quoq;, dum ait: Panis in quo gratię actę ſunt, corpus eſt domini. et rurſus: Eum qui ex creatura panis eſt, accepit, ac gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum, & calicem ſimiliter qui eſt ex ea creatura quę eſt ſecũdum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt: Reſpõdebas omnia hæc referenda eſſe ad panem ante conſecrationem, quandoquidem tum eſt creatura ſecũdum nos, ſed iam ex ea materia, accedente uerbo, fit corpus Chriſti, nec manet illa creatura priſtino modo. In reſponſione tua, duo cõmittis uitia, quia primo non ſatisfacis uerborum ſenſui: Nam Irenæus quam apertiſsime, de eo ſuper quo gratiæ actę ſunt pronunciat, & quod ſit panis & corpus Dñi, nam gratias actas eſſe tempus notat præteritũ, et tamen adhuc nominat panem. Deinde tacitus præteris illã ſimilitudinẽ, quã ego maxime urgebã: Quẽadmodũ panis à terra percipiens uocationem, nõ amplius eſt communis panis, ſed fit Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena et cœleſti, ſic et noſtra corpora percipientia Euchariſtiã, non ſunt amplius corruptibília: et concludebam talem eſſe in ſacramento mutationem panis, qualis eſt noſtrorum corporum: Hic nihil dicis. Obiectus eſt Gregor. in Regiſtro, qui ait: Tam azymum quam fermẽtatum dũ ſumimus, unum corpus domini noſtri ſaluatoris efficimur. Occurrebas eum nil aliud velle, niſi ſacramentum poſſe confici, tam ex azymo quam ex fermentato, non quod intelligat panem manere. Hic ſimiliter confugis ad ſolitam ſtropham de pane ante conſecrationem, ſed hoc quin facias, obſtant verba

Ad Iren.

Ad Greg.

Hic pugnat cum Antagoniſta priori.

ba Gregorij: nam inquit, tam azymum quam fermentatum dum sumimus: Et uerbum presentis tẽporis, denotat manifeste nos in cõmuniõe sumere, uel azymum uel fermentatum panem, neq; enim sumitur sacramẽtum nisi post cõsecrationem. Verba Epiphanij quibus eram argumentatus, prolixe uoluisti legere, quę ita habent: Surrexit in cœna, et vt gratias egisset, dixit, Hoc meum est, & hoc & hoc. Et uidemus quod non æquale est, neq; simile, non imagini in carne, non inuisibili deitati, non lineamentis membrorũ, hoc enim est rotundæ formæ & insensibile quantum ad potentiam, & voluit per gratiam dicere, Hoc meum est, & hoc & hoc, & nemo nõ fidem habet. &c. Hoc tu interpretaris, id quod est sub rotunda figura esse insensibile, & infers, ex ijs intelligi licet, quod quisquis nõ credit ibi esse uerum corpus Christi, excidit à gratia et salute. Argumentum meum fuerat inductum ad probandum corpus Christi dictum fuisse à domino de pane, quod aduersarius meus negabat: nam absurdum esse aiebat, si uel panis uel accidentia dicerentur esse corpus Christi. Contra eũ induxeram ista Epiphanij uerba in quibus aperte dicit, de eo quod est rotundæ formę, Christum uoluisse per gratiã dicere: Meum est, et hoc & hoc, id est corpus: Et ipsum rotũdum, ut intelligas panem esse, appellat insensibile quo ad potentiam, quod nequaquã sentiendum est de corpore Christi, subdit enim. Dominũ uero nostrum nouimus totum sensum, totũ sensitiuum, &c. Neq; rursus quando ait: Hoc enim est rotundę formæ, potes intelligere accidentia, quia illa sunt ipsa rotunditas, non formæ rotundæ, in genitiuo casu.

Ad Epiphanium.

Nec demonstrari potest corpus Christi, cum ipsum rotunda forma nõ afficiatur. Quare stat & firmum est quod inde inferebam, Corpus Chri iuxta Epipha. de pane dici: et miror te cum susceperis uel le dissoluere argumenta, quæ minime soluta fuerãt, nihil attigisse de Basilio, Dydimo, Cyrillo atq; Vigilio. Et hæc me scito non tantum commemorasse ut starem promissis, uerum etiam quo non sine fructu essent, quæ in prima disputatione obieci, quibus asserebas te uereri, ne qui audiuerant, seducerentur. Fuit itaq; operepretium, ut quę non ad seducẽdum, uerum ad docendum dixeram, ut finem assequerentur, hoc pacto confirmare. Nunc autem per me tibi fit potestas obijciendi, quicquid uolueris.

CHEAD. Bonam partem consumpsisti temporis, quo potuissemus disputare, in his tuis recensendis, & nunc uideris id instituere ut ego personam mutem, & fiam ex opponente, respondens. Quod ego non admisi cum illas proposui solutiones, quæ conueniebant tuis argumentis, ab initio prioris disputationis. Eram quippe respondens. Nunc autem à te commemorata sunt extra tempus, quod fieri nõ debuit. MART. Nihil à me hic peccatũ est, nam cõ firmare suas quæstiones antequam disputetur, & communire firmis rationibus, mos est receptus ab omnibus qui disputant. Et cum obijciendi tempus fuerit breue, non potui expedire quas habui præcipuas rationes, ideo ut nõ uiderer asserere falsa & temeraria, saltem hoc loco fuerunt explicandæ. Confutationem uero tuarum solutionum, recepi me hoc tempore allaturum, quod omnes testari possũt qui & nũc adsunt et tũc adfuerunt. Atq; id temporis

ris idoneam causam reddidi, cur tum supersederim ab eiusmodi tractatione, quo scilicet non ageremus actum, & non cogerentur auditores ea die nihil ferè audire aliud, prẽter argumenta quę pridie eius diei tractata fuerant. Mihi etiam non placuit ut ea arte me cogeres, ut disputarem tecum, nõ p meo sed pro tuo arbitrio, nam cũ tunc essent meę partes obijcien di, liberũ me seruare uolui, ut inducerem argumẽta quę decreueram, non autem illa tractarẽ quæ ipse proposuisses. Et tamen si me tunc ursisses, ac institis ses ut res perageretur, morẽ tibi gessissẽ, sed cũ tacu eris, uisus sum mihi te consentiente, negotium posse differre in hunc diem. Nec debet adeo molestũ esse tibi, si nunc paria refero, his quę mihi tu intulisti. Iustius quippe est, ut ego mea defendam, quam par fuerit, ut tu aliena susciperes tuenda. CHEAD. Sed ego te nõ coegi mutare personã, siquidem tunc obijciebas, et ego respõdebam. Nũc uero quid agã? Detur nobis saltem alius dies ad agendum.

Id negarunt Domini Visitatores posse fieri, ego alioquin eram contentus

CHE. Itaq; quando mutãdę sunt personę, nũc ego istuc ueniã, & tu huc accedas si uisũ fuerit, ut ego istis respondeam, & tu obijcias. MART. Per me tibi liberum est agere quod uolueris, si detur alius dies, gaudebo, quod si non potest fieri, & nunc uelis exequi, perinde mihi est, agas quicquid uolueris.

Domini Visitatores iterum fecerunt ei liberum, ut faceret utrum uellet.

CHEAD. Quãdoquidẽ sic uisum est, pergamus. Transu bstãtiari panem et uinum in corpus & sanguinem Christi, sic probo: Sexto ca. Iohan. commemorantur quinq; species panis, Prima, qua refecta est multitudo, unde Christus ait: Quæritis me quia manducastis panem: Secundus panis est fides, de quo dicitur, Operamini cibum qui non perit, sed qui permanet, Illi dixerunt quid faciemus? & Christus respondit, Hoc est opus dei, ut credatis: Tertius panis est Manna, de quo dicitur, Patres uestri mã ducauerunt Manna in deserto, & mortui sunt. 4. panis est Christus, unde inquit, Ego sum panis uitæ: Quintus panis non est ille quem intelligebant Capernaitæ, id est corpus uisibile, sed inuisibile, id est panis sacramentalis, litigabant enim de hoc genere panis: Itaq; Christus respondet: Panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi uita, qui non est alius panis, quam is qui à Christo post in cœna dabatur, cum dixit, Hoc est corpus meum, nec alius quam qui pependit in cruce. Quod si caro est, non igitur est panis. MART. Panis ille de quo agitur. 6. Ioan. et quem tu nunc in argumento accipis, est uerè caro & corpus Christi, appellaturq; panis per metaphoram, quæ aptissima est, atq; pulcherrima: Et translatio in eo sita est, ut quemadmodum panis nos nutrit & alit naturaliter, ita caro Christi, spiritualiter & fide mãducata, nos alit, quo ad animam, et quo ad corpus. Et cum argumẽtaris: In cœna dedit Christus hãc carnem, quę metaphorice dicitur panis, igitur auferenda est naturalis substantia panis: Nego consequutionem, nam hoc sacramentum, ad illam manducationem spiritualem

Excutiuntur uerba Ioa. cap. 6.

Panis quẽ ego dabo caro mea est.

Panis ille de quo agitur à Io. est metaphoricus.

carnis

carnis Christi, quam metaphorice panem uocabat in. 6. Ioan. symbola adiecit et externam manducationem ueri panis, ut illa spiritualis adiuuaretur, & efficacior esset. Quid enim prohibet, quin ibi promittatur caro Christi danda pro mundi uita, sed nõ simpliciter ac nude postea data sit, uerum symbolis panis et uini adiunctis? CHEAD. Quod dabatur in cœna, est panis quem promisit Christus Iohan. 6. sed panis ille erat caro sua: & ne dubitaret quis, qualis nam esset caro, adiungit: Quam dabo pro mundi uita. sed illud quod dabatur pro mundi uita, nõ erat substantialiter panis, ergo neq; hoc quod dabatur in cœna fuit substantialiter panis. MAR. Quod dabatur in cœna, non fuit solum panis qui habetur Iohan. 6. ut in antecedente accipis: Sed habuit etiã quẽ admodum dixi, panem naturalem adiunctum pro symbolo, et is panis symbolicus, erat caro Christi tradenda in mortem pro salute nostra. Et dum quęris, quomodo panis qui dabatur fuit caro, respondeo non substantialiter, sed ut loquuntur, sacramentaliter, id est per significationem: Et sensus Iohannis est, Christi carnem dandam in crucem pro salute nostra, panem esse, id est cibum spiritualem, quo per fidem substentamur, isq; cibus nobis in cõmunione uerbo dei et symbolis offertur. Vnde si intellexisset in Iohanne panem symbolicũ, cũ tunc non daret illũ, dixisset: Panis quẽ ego dabo caro mea erit, sed dicit (est) ĩ pręsẽti, ac si dicat: mea caro est panis metaphorice, quam meã carnem, dabo scilicet in crucẽ, pro mundi uita, CHE. Christus in. 6. ca. Iohã. dixit, Panis quem ego dabo, caro mea est, sed dabat eã carnem in cœna, quę pependit in cruce, igitur ex scrip-

turis, in cœna dedit realiter carnem suã, nam quod promiserat tũc, in cœna præstitit, dãdo corpus quod erat pro mũdi uita daturus. Symbola itaq; in cœna fuisse adiecta cõcedimus, sed substãtiã illorũ symbolorum dicimus esse carnem Christi, propter inducta uerba, Panis quẽ ego dabo, caro mea est. Vnde patet hic transubstantiationẽ esse. MAR. Quod in cœna dederit uerum corpus suum, semper sum attestatus, uerum illi adiecit symbola panis et uini, ut iam dixi, et tu modo ut audiui, fateris: sed in tuo argumento incidis in æquiuocationẽ, quia transis à pane metaphorico, ad panem uerũ & naturalem. Quod enim dicit Christus, Panis quem ego dabo. &c. Per panẽ non significat symbolũ, hoc est naturalem panẽ dãdum in cœna, sed exprimit metaphoricũ epithetum carnis suæ, quod nimirũ esset nobis pro pane, uel instar panis, cuius proprietatis ut admoneamur, et intelligamus carnem Christi panem esse allegorice, uoluit in cœna tradere naturalem panẽ, dicens, Hoc est corpus meum, id est, meum corpus pro uobis tradendum, si fide et spiritualiter à uobis manducetur, est pro pane, uel instar panis ad uos nutriendos & substentãdos. CHEAD. Eodem modo loquor de pane, quo accipitur in euangelio. Vt quinta species distincta sit à quarta, quę est, Ego sum panis uiuus. Vnde quinta species non erit allegoricus panis, sed is de quo dominus dixit, Panis quem ego dabo, caro mea est. Alius igitur panis nõ erit, nisi caro mea, licet sub alia forma, ne cõfundamini, hoc autem dixit, ut præmuniret eos ne litigarent apostoli de corpore comedendo. CHRISTVS alioquin promisisset, quod non præstiterit: Et idcirco, dabo inquit.

In 6. cap. Ioan. per panẽ dominus symbolum sacramenti non intellexit, sed carnẽ suam.

Vt carnis suæ admoneremur quæ uere est panis noster spiritualis et dicitur, dedit in cœna panem naturalem

Non-

Nondum enim uenerat tempus: neque est quod dicas corpus vel carnem Christi futuram instar panis, non enim promissio à Christo, facta sic habet, sed simpliciter continet panem dandum, esse carnem. Hoc idem confirmat Cyrill. cum inquit, Ne dubites an hoc uerum sit, eo manifeste dicente, Hoc est Corpus meum. &c. sed suscipe uerba salutis in fide, tametsi sensus non doceat MARTYR. Argumentatio prolixa est, cui ut satisfiat, eam ad duo capita redigo, uidelicet ad sermonem Christi, qui habetur Iohannis sexto: Et ad Cyrilli sententiam. Quo ad sextum cap. Euangelistæ, plura genera panis ibi tractari non diffiteor: quod tamen abs te bene distinguantur, minime concedo, & non multum curo. Egisse tamen Christum de sui manducatione, & promisisse daturum seipsum ad manducandum, admitto. Panem enim ait se daturum, qui sit caro sua quę danda erat pro mundi uita. Tu dicis, quis est iste panis? Christus respondet, Caro mea. et addit, Dabo eam pro mundi uita, & sic data, est panis uester, si eam fide percęperitis. Dicebat ergo se daturum carnem suam in crucem, et ad manducandum, eamq; panem appellauit metaphorice. Atq; hoc pacto Iudæos litigantes, docuit spiritualem sensum. Quod ut clarius faceret subiecit: Verba quæ ego loquor, spiritus & uita sunt, vt intelligerent, manducationem non fore carnalem, sed spiritualem per fidem. Cui postea in cœna post rema symbola coniunxit, quorum nunc non meminit: sed quod panem nominat, ad carnem suam refert, quæ, dum communicamus, spiritualiter à nobis manducatur, quod præcipuum haberi

beri debet in perceptione sacramẽti. Atq; id Iohã. intelligens, in euangelio suo institutionis sacramenti, cum describit postremam cœnam, non meminit, quia hic de ea satis abunde loquutus erat. Idcirco prę stitisse concedo in instituendo sacramento, quod antea in 6, cap. dixerat, quia dedit carnem suam ad mãducandum, sed cum symbolis. Et quod obijcis, Christum nõ dixisse instar panis futuram carnem suam, nihil est, quia in tropis huius generis, non semper exprimitur nota similitudinis: In scripturis enim Christus dicitur agnus, non instar agni: & deus appellatur ignis, neq; additur sicut ignis. Quod uero futuro tẽpore dicitur, dabo, ideo est, quia caro quã comedimus in sacramento, est prout passa & crucifixa fuit, quæ non adhuc euenerãt, cum ista loqueretur Christus, sed futura erant: nobis tamen dum communicamus, semper esse debent ob oculos. Et quod attinet ad Cyrilli sententiam: Respondeo me nil dubitare, quin ille panis qui nobis traditur in hoc sacramento, sit corpus Christi, sed eo modo quem docet scriptura. CHEAD. In cœna stetit promissis, ergo quod tum dedit, caro erat pro mundi uita tradenda, illa inquam quæ pepẽdit in cruce, & hoc atteſtatur, Cyrillus, ut dixi. MAR. Stetit Christus promissis, ut dicis, et dedit carnem suam, quæ apud Ioan. appellatur panis metaphorice: at dando corpus suum & carnem suam, quę tradenda erant in crucem, ut spiritualiter manducarentur, una etiam panem uerum & naturalem dedit. Neq; aliud præterea uult Cyrilli sententia. CHEAD. Ergo hoc dabis tandem, fuisse uerum corpus & ueram carnem, quod dabat in cœna, sed simul cum pane. MART. Verum fuit

cor-

corpus & uera caro, ſed dabatur ſignificatione.

CHEAD. Dedit carnem quæ pependit in cruce, et id corpus quod crucifigebatur, ſed non ſpiritualiter, pependit in cruce, nec panis naturalis crucifigebatur: igitur ille panis apud Iohan. non accipitur metaphorice, ſed realis Chriſti caro eſt intelligẽda. MAR. Tu inuoluis multa, quæ à me ſunt euoluenda, ut negem falſa, & concedam quæ ſunt uera. Dixi iam, & nunc repeto, æquiuocationem te admittere, quia pro pane metaphorico tu mihi ſemper opponis panem datum à Chriſto in cœna, qui uerus & naturalis fuit, et huius allegorici, id eſt carnis Chriſti ſignũ, Nũcq; uero tibi conceſſi, neq; concedam, Chriſtum in Iohan. promiſiſſe panem ſymbolicũ, ſed eum, qui metaphorice ſumptus idem eſt cum carne. Et in cœna poſtrema iſtum allegoricum panem, id eſt carnẽ ſuam, dedit ad manducandum ſpiritualiter, et non ſolum ſtetit promiſsis, ſed plus dedit quã promiſerat, addendo ſymbola. Et quod ſumis in argumento, corpus Chriſti non pepẽdiſſe in cruce ſpiritualiter, & panem naturalem non fuiſſe crucifixum, aut pro nobis traditum, nihil habet momenti. Quandoquidem uerba Chriſti ſatis atteſtantur corpus eius aliter à nobis manducari, & aliter fuiſſe crucifixum, quia manducationem iſtam ſpiritualem eſſe uoluit Dominus, quando à carnali reuocauit Capernaitas. Pendere uero in cruce, & mori, actiones fuerunt naturales, unde in argumento peccas progrediendo à ſubſtantia ad qualitatem, & à re, ad modum. Vnde corpus manducari à communicantibus damus, non autem eo modo quo pependit aut crucifixum eſt. Et miror te hoc ob-

Semp iſte uerſatur ĩ æquiuocatione.

Declaratur quæ fuerit promiſsio Chriſti in 6. cap. Io.

ijcere, qui nõ dares ita Christum fuisse crucifixum, ut illum ponis operiri tuis speciebus. CHEA. Dominus promisit se daturum panẽ, qui esset caro sua, quæ tradenda erat pro mundi uita. Sed hũc panem, quemadmodũ dñs Doctor fatetur, nõ dedit nisi in cœna, ergo in cœna dedit uerã carnẽ tradẽdam pro mũdi uita. Et hęc propositio, panis est corpus Christi, est impossibilis, nisi accipiamus per figurã & significationem, ergo oportuit esse trãsubstãtiationẽ ad hoc vt daret verum corpus suum. MART. Dedisse Dominum in cœnæ, quod promiserat concessi, non tamen dedi quòd non nisi in cœna id præstiterit dominus. Nã quotiescunque credimus Christum uere crucifixum pro nobis, carnem eius manducamus, quæ dicitur panis metaphorice. Cęterum quod in cœna hoc maxime præstiterit, fateor, neq; tu debes accipere me dixisse, quod ibi solum fiat. Sed quid est hoc argumenti: Christus secum cœnãtibus dedit carnem suam, et illa dicta est panis metaphoricè apud Iohannẽ, eo quod nobis sit instar panis. Igitur nõ dedit etiam panem, uerum & naturalem? Ista non pugnant inter se, imo optime consentiunt, & utrumq; simul uerum est. Neq; impossibilis est propositio, quod panis sit corpus Christi, quia per significationem accipitur: Et August. testatur, Sacramenta habere nomina rerum, et corpus illud qđ nobis per significationem offertur, uerum est, et nõ confictum. CHEAD. Illud quod promisit, & datum est in cœna, erat uera caro Christi, ergo dedit ueram carnem, non panem. Et caro data pro mundi uita, non erat spiritualiter uera caro, sed carnaliter uera caro, & nullo modo panis naturalis,

Dominus se mãducãdũ & in cęna et extra cœnã prebet credentibus.

Nõ est impossibilis hæc propositio, panis est corpus Christi.

lis, ergo euincitur transubstantiatio. MART. Dedit, carnem quemadmodum promisit, ueram, sed spiritualiter manducandam, et una etiam dedit symbolum. Quoties tibi dicam? dedit utrumq; : Quæ est ista consequutio? Dedit hoc igitur, cum hoc non dedit etiam illud? Et carnem Christi non dico esse spiritualiter carnem, sed ueram: spiritualiter autem applico ad nostram manducationem & nostrum percipiendi modum. CHEAD. Hoc igitur concedes, Christum dedisse ueram carnem in cœna. MARTYR. Dedi ueram carnem fide percipiendam, & spiritualiter manducandam, sed una cum ea, dedit etiam symbola.

Hic Domini Visitatores Regij dixerunt, dissolutionem argumenti satis intelligi, quā ego adferrem, & ideo illum debere ultra progredi.

CHEAD. Dabis ne fidem uni aut alteri testi meæ sententiæ? MAR. Possent esse huiusmodi, quibus fides non sit adhibenda. Quid uteris ista præfatione? Nominato eos, et si fide digni fuerint, fidem eis habebo. CHEA. Ambrosius transubstantiationem ponit, in libro de ijs, qui initiantur mysterijs, ca. 9. & ult. Vbi in priore parte capitis habet, non esse panem quem natura formauit, sed quem benedictio consecrauit. Et hic respondere nō potes, quo ad usum factam esse mutationem, quia postea subdit, naturam mutatam. Et exemplo docet, quia uirga quam tenebat Moses, natura uersa est in serpentem, non secundum vsum. verba eius hæc sunt.

Probemus non hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maioremq; uim esse benedictionis, quàm naturę, quia benedictione etiã ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moses, proiecit eam, et facta est serpens, rursus apprehendit caudam serpentis, et in uirgę naturam reuertitur. Vides igitur, prophetica gratia, bis mutatam esse naturam, et serpentis & uirgę? Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium uenis, sanguis cępit erumpere. Non erat potus in fluuijs, rursus ad Prophetę preces, cruor cessauit fluminum. Hic uides Ambrosium testari mutationem naturæ, id est transubstantiationem. MART. Bene habet, Agnosco uerba Ambrosij, sed perge ulterius. CHEAD. Circumcluſus undiq; erat populus Hebręorum, hinc Ægyptijs uallatus, inde mari clausus, virgam leuauit Moses, separauit se aqua, & in murorum speciem congelauit, atq; inter undas, uia pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus contra naturam, in sui fontis reuertitur exordium. Nonne claret naturam uel maritimorum fluctuum uel fluuialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moses petram, et aqua de petra fluxit. Nunquid non pręter naturam operata est gratia, ut aquam uomeret petra, quam non habebat natura? Marath. fluuius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset, misit Moses lignum in aquam, & amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam subito gratia temperauit. Sub Elisæo propheta, uni ex filijs prophetarũ excussum est ferrum de securi, et statim mersum est. Rogauit Elisęum, qui amiserat ferrum, misit etiam Elisęus lignũ

in

in aquam, & ferrum natauit, utiq; & hoc præter naturam factum esse cognoscimus. Grauior est enim ferri species, quam aquarum liquor. Aduertimus igitur maioris esse uirtutis gratiam q̃ naturã, & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantũ ualuit humana benedictio, ut naturã cõuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina, ubi uerba ipsa domini seruatoris operãtur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum ualuit sermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non ualebit Christi sermo ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti, quia ipse dixit, et facta sunt, ipse mandauit et creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere q̃ non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod nõ erãt? Non enim minus est nouas rebus dare, q̃ mutare naturas. Hinc etiã liquet Ambros. uelle mutari naturas. MAR. Perge legendo, quod si cunctaris, ego ipse legam. Vera utiq; caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est, ueræ ergo carnis illius sacramentũ, Ipse clamat Dominus Iesus, Hoc est corpus meum. Ante benedictionem cœlestium uerborum alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur, et tu dicis, Amen. CHEA. Legã usq; ad finem si uolueris. MAR. Ad finem hoc habetur. Nec dicamus quomodo regenerati sumus, nunquid in uẽtrem matris nostrę iterato introiuimus et renati sumus? Non agnosco usum naturæ, sed nullus hic naturæ ordo, ubi excellentia gratiæ. Deniq;

Quia caro Christi est uera, ideo hoc est uere illius carnis sacramentũ

Corpus Christi significatur

Post consecratiõem sãguis nũcupatur.

non ſemper uſus naturæ regenerationem facit. Huc uſq; ille. Iam uides nos Ambroſium non contemnere, tametſi ſcio eſſe doctos uiros, qui iſta commentaria de ſacramentis habeant ſuſpecta, & putẽt non eſſe Ambroſij, quod tamen ego non curo, & facile illos admitto. Neq; me latet Roffenſem, ut oſtenderet hos libros uere Ambroſij eſſe, teſtimonium Auguſtini in proœmio de Doctrina chriſtiana citaſſe, quod ibi dicat, Ambroſium ſcripſiſſe librum de ſacramentis. Si quis uerò citatum locum perlegat, nil tale inueniet. CHEAD. Habetur apud Auguſtinum, in lib. 2. Retractationum, quando commemorat libros de doctrina Chriſtiana, ibi inquit Ambroſium ſcripſiſſe librum, ſiue de ſacramentis, ſiue de prophetia, & iſtud caput ſolet prefigi loco proœmij libris de doctrina Chriſtiana, ſed nũc Roffen. non ſuſcipio defendendũ. MAR. Memini: et quidem ad hæc Auguſtinus contra Iulianum, ſcripſiſſe ait Ambroſium de ſacramento uel de philoſophia, licet ex his quæ ibi dicuntur, non cõſtat de his libris agi, quos modo excutimus. Cęterum ut iam dixeram, hic non cõtendemus, nam libros iſtos admitto eſſe Ambroſij, & reſpondeo eũ nihil aliud hic uoluiſſe probare, quam mutationẽ panis uocatã à nobis ſacramentalẽ, neq; id uelle ut natura panis in ea tollatur. Et hanc eſſe eius ſententiam ſatis liquet ex libro 4. de ſacramentis ca. 4. ubi ſcribit: Si ergo tanta uis in ſermone domini Ieſu, ut inciperent eſſe quę non erant, quãto magis operatorius eſt, ut ſint quæ erãt, et in aliud cõmutẽtur? Hic aperte duo ponit, primũ, ſymbola manere quæ erãt, qd intelligẽdũ eſt, nõ ut uos aſſeritis de accidentibus, ſed de ſubſtãtia.

Aliqui habuerũt ſuſpectos libros Ambroſ. de ſacramentis. Roffẽſis.

Aug. contra Iulian

Amb. uult ut in ſacramẽto ſymbola ſint quæ prius erant.

tia: nam relatiuum [quæ] illud nobis indicat. Alterum est, quod mutantur in aliud, quia ex pane cõmuni fit sacramentũ. Nec est mutatio ista uulgaris, sed quę naturã superet. Et ad ea quę dicit ab initio capitis, naturam mutari, respondeo contra me non facere, quia talem mutationẽ cõcedo naturarũ, ut suscipiant alias conditiones, et ascendãt nouum gradũ, sacramẽta enim fiunt, quod antea nõ erãt. Ad exẽpla uero quæ hic ponuntur ab Ambrosio, respondeo multiplicia esse, idcirco ad duo genera illa redigo. Nã quędam enumerat, ubi prorsus abijcitur prior natura, ut contigit in uirga Mosis, quãdo cõuersa est in serpẽtem, et in aquis Ægypti, cũ mutarẽtur in cruorẽ. Et alia sunt, in quibus manẽte priori substantia, tantũmodo accidẽtalis mutatio facta est. In quo genere sunt, diuisio maris rubri: Iordanis recessus: Aquæ Marath sanatę: Petra dans aquã, et ferrũ natãs. His itaq; similibus, hęc mutatio sacramẽtalis probari potest. Etenim si accipias illa, in quibus omnino sublata fuit natura, quæ prędrat, argumẽtũ habebis à maiori. Cũ enim statuatur Deus tantam effecisse mutationem, ut prorsus naturas auferret & substantias quæ prius erant, aliasq; induceret: cur dubitandum erit, eum posse facere ex communi pane & uino, efficacissimũ sacramẽtũ? Alijs uero similibus, in quibus prior substantia conseruatur, & nouæ qualitates atq; conditiones inducuntur, aliter q; natura patiatur usitata consuetudine, probatur hęc eadem mutatio sacramentalis, ab æqualibus factis, & pari uirtute. Non enim est ambigendũ posse Deũ, naturis panis et uini manẽtibus, tribuere sacramentalẽ uim, qui tã mirabiles affectus & qualitates rebus enumera-

Exempla Amb. redi guntur ad duo capita

numeratis impreſsit prę̃ter naturam. Et ſunt non leuiter pertranſeunda uerba, quę̃ habet in iſto capite cum ait: Vera utiq; caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quę̃ ſepulta eſt, uerę̃ ergo carnis illius ſacramẽtum: nam inde patet eum conſtituere, Chriſtum habuiſſe & ueram carnem & uerum corpus, quod & nos fatemur aduerſus Martionem & Eutychen. Addidit poſtea, hoc eſſe uerè ſacramentum illius carnis, quod noſtræ ſententię admodum fauet. Nam dicimus eam hic & uere & efficaciter ſignificari, & per communionem uerè, ſed ſpiritualiter, à nobis ſumi. Nec illa ſunt prætereunda quæ paulopoſt ſcribit: Ante benedictionem uerborum cœleſtium, alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationẽ corpus Chriſti ſignificatur. Quãdo à me dicitur corpus Chriſti in ſacramẽto ſignificari, uideor uobis & aliena & abſurda loqui, & nihilominus à patribus idem paſsim auditis. Itaq; dum quæris, quænam ſit hæc mutatio, de qua Ambroſ. uel quisquis eſt tam prolixe ſcribit. Reſpondeo eam eſſe, qua panis & uinum ab ordine naturali & gradu prophano ad ſtatum & ordinem ſacramentalem tranſferuntur, opera cum ſpiritus ſancti, tum inſtitutionis Domini. Neq; dura eſt hęc loquutio, ſi dicamus naturam mutari, cum adipiſcitur uarias conditiones, ſiquidem ea eſt, quę talẽ mutationẽ ſuſtinet ac defert. Vrgebas et ab initio quod ſcripſerat, Non hoc eſſe, quod natura formauit, ſed quod benedictio conſecrauit, quaſi hæc uerba noſtræ ſententiæ prorſus repugnent, quod reuera nõ eſt. Agit enim Ambroſ. de ſacramento, atq; de eo ut ita dicam, formaliter loquitur. Et quis noſtrũ dubitet, conditionem ſacramenti ex natura non proue

nire

Nota locũ diligenter

Natura nõ format ſacramentũ ſed uis diuina.

nire, sed per consecrationem induci: atq; id exprimere uoluit, iam panem sanctum non habere à natura, quod sit sacramentum, sed per consecrationem id adeptum esse. CHEAD. Sed in Ambrosio hæc potissimum notaui. Primum quod inquit, Dicas aliud uideo, quomodo tu mihi asseris quod corpus Christi accipio? & nobis adhuc superest ut probemus. Deinde, Probemus non esse hoc quod natura formauit, sed quod benedictio cõsecrauit, maiorẽq; uim esse benedictionis quam naturę, quia benedictione ipsa natura mutatur. Adhæc, ne dicas mutationem esse sacramentalem, ut panis fiat symbolum. Exempla quæ sequuntur docent substantiam in aliam naturam conuerti: itaq; Ambrosius dicit naturam mutari, tu negas. MART. Non nego, sed affirmo sacramentaliter mutari, et dico cum Ambrosio, sacramentum non esse id quod uidetur, si loquamur de eius potiori parte, quod enim significatur, ut nõ uidetur, ita in primis quæritur à fidelibus, neq; est à natura in hoc sacramento aut formatum aut affixum, sed per benedictionem adnectitur. Neq; uult hic esse conuersionem eiusmodi quę pristinam naturam abijciat, de exẽplis uero ab eo inductis iam satis est dictum. CHEAD. Ambros. inquit. Non esse hoc quod natura formauit, sed quod benedictio cõsecrauit. MAR. Hoc antea declaraui, etenim sacramentum res est cœlestis, quod natura non formauit, sed per cõsecrationem pani accedit, non ita ut suam abijciat substantiam. Neq; debet hoc alienum uideri à sensu Ambrosij, qui ut citaui lib. 4. cap. 4. de sacrameñtis ait: Quãto magis operatorius est sermo Christi ut sint quæ erant. Satis ostendit hęc oratio eum

nõ ſentire naturã ſymbolorũ eſſe abijciẽdã. CHE. Si ſunt quę erãt, tũc nõ ſunt ſacramẽta, qa prius ſacramenta non fuerunt. Pręterea idem Ambroſ. in loco quem induxi, De his qui myſterijs initiãtur, aſſerit mutari ſpecies elementorum: nam ſcribit: Quod ſi tantum ualuit ſermo Heliæ, ut ignem de cœlo deponeret, non tantum ualebit ſermo Chriſti, ut ſpecies mutet elementorum? MART. Quod primum obijcis. Si ſunt, quę erant, tunc ſacramenta non ſunt. Negatur conſequutio, optime enim conuenit utrumq; : nam addit Ambroſ. Et in aliud commutentur, ut uideas naturam panis manere & in ſacramentum mutari. Et quod inculcas, illum ſcribere ſpecies elementorum mutari, diſtinguo: ſi per ſpecies accidentia intelligas, id eſt formã, figurã, ſaporẽ, atq; colorem panis & uini, non mutantur, ut ſenſus atteſtatur: ſin uero per ſpecies, naturas intelligas & ſubſtantias ſymbolorum, illis accedere ut ſæpius dixi, ſpiritualem & cœleſtem mutationem cõcedo. Nam dum ſacer iſte ritus peragitur, in ſymbola per inſtitutum & uerba domini, inducitur ratio ſacramentalis, & relatio illa ſignificandi tam corpus myſticum quam ipſum Chriſti corpus, non in accidentibus panis & uini, ſed in ipſis eorum naturis funda tur acceſſu ſpiritus ſancti, qui illis ut inſtrumentis utitur. CHEAD. Mutatur ne panis ſecundum ſubſtantiam, an ſecundum accidens? MART. Quoniam ambiguitas & æquiuocatio hic incidit, utar diſtinctione. Si mutationẽ intelligas ſecundũ ſubſtãtiã, ita et ſubſtãtia ipſa uel pereat uel cõuertat in alterã, nõ aſſentior tali mutationi: ſin uero intelligas mutari ſubſtantiã ſic, ut ſuſcipiat aliã qualitatẽ atq; conditio

Duo uult et eſſe quę erant & mutari in aliud ſcilicet in ſacramenta Diſtinc. de ſpeciebus.

Relatio ſacramenti nõ fundatur in accidentibus, ſed reſpicit naturã et ſubſtãtiam panis. Mutari ſecũdũ naturam dupliciter.

ditionem quam prius habuerat, concedo eam mutari. CHEAD. Tu de accidentali mutatione loqueris, quæ fiat secũdũ nouũ gradũ & conditionẽ. quod est in sacramentũ mutari, & accidentaliter. Ambros. uero agit, de mutatione elementi & naturæ. Interrogo igitur te: Quid est quod post consecrationem mutatur? MAR. Ab Ambrosio non recedo, sed cũ illo asero hic fieri mutationem elementi & naturæ, modo iã exposito. Et cum interrogas, quid mutetur post cõsecrationẽ: Respõdeo mutationẽ de qua nũc agimus, in illis rebus esse factam, quæ iam per consecrationem qualitatem aliã sustinent, & maiorem dignitatem consequuta sunt, uidelicet statum sacramẽtalem, quem antea non habuerant. Et quamuis talem mutationem studeatis eleuare, non tamen parua est, aut contemnenda, cum sancti spiritus & uis & opus accedat. CHE. Tu adhuc respondes mihi de accidentali mutatione, sed quæ est mutatio in elemento? MART. Magna quidem est, qua elementum fit sacramentum, ita ut illud elementum per hanc mutationem iam alia res dicatur, quam antea fuerat. Et ne hęreas quid intelligã per elemneta, dico per ea nil aliud significari quã symbola, quemadmodũ ueterũ ceremonię et sacrificia dicũtur elemẽta apud Paulũ; et horũ elemẽtorũ id est symbolorũ substãtia, est quæ fert & sustinet hanc mutationem, quę per cõsecrationem inducitur. Iamq; sum fessus idem sæpius & respondendo & declarãdo. Cũ ego ex nigro efficior albus, nõ est opus, ut mea substantia uel natura esse desinat, ita de pane existimes, quãdo fit sacramentũ. CHEA. Conditio quę accedit, non mutat naturam, & Ambros. dicit eam mutari.

Quid sit illud q̃ mutetur in sacramento

Idemq; lib.4. cap.de sacrament.4. Ergo author sacramentorũ,quis est,nisi dominus Iesus? De cœlo ista sacramenta uenerunt,consilium enim omne de cœlo est. Vere autem magnum est et diuinũ miraculum,quod populo deus pluit Manna de cœlo, & non laborabat populus, & manducabat. Tu forte dicis, meus panis est usitatus,sed panis iste,panis est ante uerba sacramentorum, ubi accesserit consecratio,de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus: Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi cõsecratione? Deinde: Ergo tibi ut respondeã. Nõ erat corpus Christi ante consecrationem, dico tibi quod iam est cõrpus Christi, Ipse dixit et factũ est, ipse mandauit, & creatum est. MART. Addas ea quæ interposita sunt: Quanto magis operatorius est ut sint quæ erant, et in aliud commutentur. CHEA. Nihil contra me hæc faciunt. Sint quæ erant id est appareant, nam eandem formam figuram & proprietates retinent. Sensus etiam Ambrosij sic explicatur: Si deus potuit ex nihilo omnia facere, quanto magis ex alio aliud? Si ex eo quod nõ est, potuit aliquid facere,multo magis id potuit ex eo, quod est. Ideo dicit,ut sint quę erant, quia prius erat entia, & existebant, non quod postea persistant eadem secũdũ substantiã,sed ut sint quæ erant,quantũ ad entitatẽ, et in aliud mutentur quantũ ad substantiã. Vult itaq; in summa,ex una natura fieri aliam,& hoc est in aliud cõmutari. Et ex his quę sunt ad finẽ capitis quando dicit: Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi,et quod uinũ & aqua in calicẽ mittitur, sed fit sanguis consecratione uerbi cœlestis, patet transubstãtiatio,et quod ex pane fiat corpus Christi

Nota panẽ esse corpus Christi qđ isti negant

et

et exuino sanguis. MAR. Primũ ad ea respõdebo, quę ipse citas ex hoc capite: deinde addam quæ in eo abs te omittuntur, & meã sententiam cõfirmant. In primis, Dominũ authorem esse sacramentorum cõfiteor: deinde assentior panem ante uerba sacramentorum, panem usitatum esse, ubi uero accesserit cõsecratio, corpus Christi esse, nimirum sacramentaliter. Hęc ego neq; nũc nego, neq; unq; negaui. Sed tu mihi uicissim considera, eum subiicere, hoc igitur astruamus, Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi consecratione? Vbi tu uides eũ duo pronunciare de symbolo, et q panis est, et corpus Christi simul. Et ait laborandum esse, ut hoc declaretur, aitq; consecratione fieri. Quis autem dubitat, consecrationem sacramentalem rẽ esse: Ex quo patet symbolum, quo ad naturam, manere panem, consecratione uero, esse corpus Christi sacramentaliter? Et Ambros. seipsum interpretatur, quando ait, Vt sint quę erant, qđ iste exponit, et interpretat. Vt sint, id est appareant. Cum tamen Ambrosius habeat [sint] quę ubi nõ apparentiam, sed rei ueritatem spectat. Et quis non uideat, quando cõmodum uobis est, admodum arridere tropos, ita ut, quantumuis durissimis abutamini, cum uisum fuerit. Superius in euangelista particulam, Quod, substantiam referre uolebas, in Augustin. qualitatem, hic in Ambrosio interpretaris [sint] id est appareant. Itaq; Ambros. ubi dixit eamanere, adiecit, In aliud mutari, hoc est sacramenta fieri. Quæ uerba testantur me huius patris genuinũ sẽsum protulisse. Vt uero sophistica sit altera interpretatio, qua dicis, sint quæ erant, id est prius existebant, et erãt entia, quasi dicatur, sint quę

Symbolũ duo simul est et panis & corpus Christi.

erãt, quo ad entitatem, mutentur in aliud quo ad naturã, omnes intelligunt, uidẽtq; alienissimũ sensum esse: quod ut magis perspicuũ sit, nõ grauabor subijcere denuo Ambrosij uerba: Quãto magis operatorius est, ut sint quę erant et in aliud cõmutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem, Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, et creata sunt: ergo ut tibi respondeam, nõ erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem est corpus Christi. Ipse dixit, & factum est, ipse mandauit, & creatum est. Tu ipse eras, sed eras uetus creatura, posteaquam consecratus es &c. noua creatura esse cœpisti. Iam audis quo simili declaret natura panis mutationem, illo scilicet quo nõ abijcitur, sed mutatur conditio. Nam in his uerbis duplicem rationem protulit ad probandam sacramẽ talem mutationem: Prima fuit, à iussu domini, quia ipse dixit: Altera est, à mutatione, quæ fit in nobis, cum regeneramur, sed nos ibi non amittimus nostram naturam. Non itaq; pane id ponendum erit, ut substantiam suam relinquat, alioquin ãrgumentum à minore ad maius affirmatiue non tenet ut scilicet ex minore mutatione uelimus probare maiorem. Proinde cum Ambrosius has duas inter se conferat, uult æquales esse. Verum pergamus ad ea quæ habentur ad finem, ubi legis: Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem præcioſi sanguinis bibis. Quid his uerbis apertius dici potuit, ad demonstrandam conditionem uel qualitatem sacramentalem, quæ in similitudine & significatione sita est? CHEAD. Ambrosius cum dixisset: Hoc non esse quod natura formauit, sed bene-

Similitudo de mutatione nostri

Duplex probatio mutationis sacramẽtalis

benedictio consecrauit, statim vt genus mutationis declararet, subdit exempla uirgæ, et aquæ mutatæ in sanguinem, ubi natura pristina est abiecta, et exempla quæ mutationem tantum qualitatum et proprietatum indicant, remotius posuit: Quare igitur debemus mutationem panis & uini, magis referre ad mutationem proprietatis & conditionis, cum alterum genus mutationis priori loco ponatur? Et potissimum cum addat Ambrosius, Operatorium esse Christi sermonem, & dicit, quod efficiuntur aliud. Quodq; adducis de nostri mutatione, cum efficimur noua creatura, dico ibi opus esse gratia, & est spiritualis mutatio. Hic uero Ambrosius agit de mutatione elementali. legito eundem cap. 5. eiusdem libri, et primo cap. sexti libri de sacramentis.

MART. Cur Ambrosius priori loco ponat mutationem, qua substantia prior abijcitur, in prõptu ratio est, quia ea mutatio est maior altera, ideo prius collocatur. Deinde, cum dupliciter argumentetur partim à maiori, partim à simili uel ab æquali, argumentationem incipit quemadmodũ par est, à maiori. Quodq; secundum genus mutationis ad rem faciat, inde liquet, quod in quarto de sacramentis, ubi statuit idem probare sed breuius, tantum ea recitat exempla, quæ mutationem proprietatum indicant, et primum genus tacet, ubi natura abijcitur. Operatorium uero esse Christi sermonẽ libenter cõcedo nam eo symbola, quorum natura manet, aliud efficiuntur, nimirum sacramenta. Et quod ais nostrã mutationẽ per gratiã fieri et spiritualem esse, annuo. sed quod Ambros. de ea nõ loquatur, nego, neq; obstat quod eam uocet mutationẽ elemẽtorũ, vt superius decla-

Perspicua declaratio sermonũ Ambrosij

declaratui. Elementum enim est pars sacramenti quę sentitur, eaq; uere dicitur mutari, quod aliud munus habeat et præstet quam prius. Et quæ innuis de 5. cap. primi, & de primo, sexti, si obieceris, respondebimus. satis nunc ostensum est, ex eo quod citasti, nihil contra nos, sed potius omnia pro nobis facere.

CHEA. Rogo per uosipsos legatis domi hęc capita & uidebitis non posse accipi, nisi de trāsubstātiatiōe.

Hic Visitatores iusserũt, ut ad secũdam pergeretur.

CHEAD. Verum & reale corpus Christi esse in Eucharistia, sic doceo. Chrysost. Hom. 17. ad Heb. Nonne per singulos dies offerrimus? Offerrimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius, & una est hostia non multę. Quomodo una est & non multæ? & quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum, hoc autem sacrificium exemplar est illius. Id ipsum semper offerrimus, nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed semper id ipsum, proinde unum est hoc sacrificium, alioquī hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt. Nequaquam. Sed unus ubiq; est Christus, & hic plenus existens, et illic plenus unum corpus &c. Ex ijs ita disputo, Eadem est oblatio nostra cū illa quam obtulit Christus, Sed Christus obtulit uerum & reale corpus, ergo nos idem offerrimus.

Idem corpus Christi sumitur in cœna qd pependit in cruce sed diuersimode

MAR. Illud idem corpus nos habere in cœna domini, quod Christus obtulit in cruce, quoad substantiā & ueritatem naturę, fateor, sed non eodem modo, quia spiritualiter, id est per fidē ipsi percipimus, Id

uero

uero ſubſtantiali & corporali preſentia pependit in cruce. Et hæc duo quę aſſero, ex Chryſoſt. potes colligere: Idem dicit eſſe quod offerrimus, quo ſcilicet ad rẽ et corpus Chriſti, ſed addit ſẽper, recordationẽ, exemplar, & commemorationẽ, quę modum oſtendunt diuerſum. Et hanc meam ſententiam euidenter oſtendo ex Bernhardi uerbis. in Serm. 33. ſuper Cantica cantic. At quantalibet ſane abundantia pingueſcant iſta, non pari omnino iucunditate ſumitur cortex ſacramenti, & adeps frumenti, fides & ſpecies, memoria & præſentia, æternitas & tempus, vultus & ſpeculum, &c. Vbi uides illũ antitheſim ponere inter memoriã & præſentiam. Itaq; cũ Chryſoſt. id ipſum nos habere corpus quod in cruce fuit oblatum, fatemur: ſed quia memoriam & recordationem ſemper interponit, oſtẽdit nõ eſſe modum recipiendi per præſentiam corporalem, ſed per preſentiam fidei, quæ poteſt res abſentes, ſpiritualiter præſentes facere, ut Paulus ad Gal. inquit: Chriſtum in eis fuiſſe crucifixum, et Abraham uidiſſe diem Domini ac gauiſum eſſe. Et Deus iam fecit nos conſedere ad dexteram in cœleſtibus, quomodo hoc? carnali præſentia? minime, ſed fide, quę rei ueritatem non excludit. Et breuiter, quod attinet ad argumentum, idem habemus, ſed non eodem modo, id eſt eodem genere preſentiæ. Vnde non ſequitur, Chriſtus realiter & corporaliter ſe ipſum dedit in crucem, ergo nos ita eum habemus in communione. CHEA. Idipſũ inquit Chryſoſt. offerrimus quod ille obtulit, licet alio modo ibi ſit & ſub alia forma, non etenim alium nunc, aut alium agnum craſtina (eodem teſte) offerrimus, ſed ſemper idip-

Bernhardus.

Antitheſis inter memoriã et præſentiam.

Fides rei ueritatem nõ excludit.

Fides percipiendo Christum nõ ipsũ uitiat non corrũpit neq; ĩminuit.

sũ, alioquin incõfesso est, Christũ obtulisse se in preciũ, et nos in mysteriũ et recordationẽ. MAR. Cõmunicãtes eũdẽ ipsũ Chm̃, et plenũ, id est neutra eius natura trũcata uel ĩminuta, fide ꝓcipiũt, quia fides ipsũ, neq; corrũpit, neq; uitiat, neq; ĩminuit, imò sinit eũ esse uti est et suo loco manere, et tñ spiritualiť ipsũ eundẽ et plenũ et integrũ cõplectiť. CHE. In sacramẽto, est ne corpus Chr̃i an nõ? MAR. Nõ nego in sacramẽto uerũ corpus Chr̃i esse sacramentaliť, id est ꝓ efficacẽ significationem, et nobis uere exhiberi, et accipi assueuerãter affirmo, uerũ animo & fide, hoc est spiritualiter, siue sacramẽtaliter: atq; id est uere adesse fidei nostrę. Differẽtia est ĩter nos quo ad modũ prẽsentię, vos imaginamini et fingitis uobis latitationẽ Chr̃i quãdam in illo pane, siue speciebus panis, quã ego pernego. Nobis uero adesse exposito modo fateor, atq; etiã docui quo pacto in sacramẽto esse cõcedi possit. CHE. Est illud ipsũ inquit Chrys. MAR. Asserit illud ipsũ esse, uerę addit: In memoriã et recordationẽ, quę ad animũ et fidem spectant, nõ ad corporalẽ prẽsentiam. CHE. Verũ ne corpus est et carnale, quod est in sacramẽto, an spirituale? MAR. Verũ esse ĩ cõcessi, nõ tamẽ (ut ita dicã) per prẽsentiã realẽ: Idem est corpus, ut exposui, quo ad naturã, sed illud ita mẽte accipimus et fide, ut manu et ore symbolũ ipsius capimus. CH. Est illud ipsum inquit Chrysost. MAR. Ambo cõiungenda sunt quę dicit, tã quod est (illud ipsũ) q̃ q̃ addit, per cõmemorationẽ. CHEA. Si quando sumimus sacramentũ, datur illud idẽ quod Christus obtulit, sequitur ibi in sacramento realiter et substantialiter esse Christũ in sacramẽto. MAR. Nego

argu-

argumentū, transis enim à substātia ad accidens, & Quid facis, Quale. Illud ipsum corpus esse, quō ad naturā, fere centies concessi; at nō sequitur quo ad modū presentię corporalis, uel ibi esse, uel à nobis accipi. CHE. Est ne ibi? MAR. Est, sed sacramentaliter et per significationē, uti est sensus in sermone uel in scriptis, quod scilicet p ista significetur, nō autem sub eis latitet. CHE. Est ne uerum corpus? MAR. Quoties tibi dicam? Verū est corpu, sęterū ibi non est nisi per sacramentalem significationem. CHE. Rogo quę sit substātia illius hostię, quę p singulos dies offert, tu dicis, si aio et fide offerā, esse uerū corpus Christi, Chrysost. nō fidē meā, sed substātiā hostiæ cōsyderās nō aliud inquit, sed id ipsum offerimus. Quare liquet nos nihil effingere qđ Chrysost. nō habeat. MAR. Substātia hostiæ nrę est gratiarū actio de corpore Chri tradito in crucē. Et hac gratiarū actione, fide, atq; confessione, dixerūt patres in cœna offerri corpus Chri. Vnde qđ attinet ad substātiā, hoc corpus de q̄ gras agimus, nō differt ab eo quod crucifigebatur, sed ad hoc ut ita offeratur à nobis, nō requiritur, ut presens sit corporalit, neq; ut manibus communicantiū substātialit tenea tur. CHE. Chrysost. super Ioan. homil. 45. Parētes sæpenumero liberos suos alijs alēdos dederunt, ego autem mea carne alo, me his exhibeo, oībus faueo, omnibus optimā de futuris spem præbeo; Qui in hac uita ita se nobis exhibet, multo magis in futura. Vester ego frater esse volui, & communicaui carnem propter uos & sanguinem, & per quæ uobis coniunctus sum, ea rursus, uobis exhibui. Hic Chrysost, ostendit nos nutriri uera carne Christi.

Quę sit oblatio nostra corporis Christi

Aliud locus Chrysost. super Iohānem.

Qui nutritur uberibus matris

tris ſuæ, & Chriſtus ai[illegible] ſimiliter ſe nutrire nos carne ſua, igitur non hoc agit per ſignificationem: nã hoc nõ eſſet carne ſua nos nutrire, ſed aliena. Quare ſequitur oportere carnem Chriſti reipſa prçſẽtem eſſe. MAR. Chriſtum ſe nobis dare, nosq; alere et nutrire ſua carne, concedo. Quod uero ſubdis, nos ali non poſſe, niſi eius caro adſit corporaliter, nego, cum iſta alimonia et manducatio fide peragatur. CHEA. Sed dicit, Cum dederit nunc ſeipſum, multo magis daturum ſe in futurũ: ergo idẽ eſt qui nunc datur, et qui in futurum eſt dandus. MART. Idem profecto eſt, ſed hic tantum per fidem accipitur. vtq; apprehendatur efficacius, ſigna & ſacramẽta nobis dãtur. CHEAD. Ergo, illi qui ſunt abſq; fide, corpus Chriſti non accipient? MAR. Non accipiẽt, carent quippe inſtrumento, quo percipitur corpus Chriſti, ut ſuperius oſtendi. CHEAD. Eſt ne ibi, etiã ſi ab illis nõ accipiatur? MAR. Eſt per ſignificationem ſacramentalem in ſymbolis, quia nobis ſignificant, repreſentant, & exhibent corpus & ſanguinem Chriſti: non autẽ tranſubſtantiata ſunt, aut in eis latitat ſubſtantialiter et realiter, ſeu corporaliter & carnaliter, ad quod aſſerendũ uideris uelle me adigere tot tuis ſuperfluis interrogationibus. Et cum aſſero ſacramentalem ſignificationem, debes intelligere eam, quo ad credentes eſſe efficacem, ut communicantes iuuet, et excitet ad Chriſtum fide complectendum, quod in his qui fide ſunt deſtituti, locum habere non poteſt. Oſtendi enim ſupra, cum aduerſus te agerem, infideles non poſſe percipere corpus Chriſti. CHEAD. Quid igitur eſt ſa-

Mali non percipiũt corpus Chriſti.

est sacramentum? MARTYR. Est (ut definiunt Theologi, et ex Augustino habetur) sacræ rei signum, aut uisibile signum inuisibilis gratię. Et sacramentis utitur spiritus sanctus, ad exhibendum nobis Christum spiritualiter, animo & fide comprehendendum. Veluti dicimur per uerba dei salutem suscipere, non quod salus in illis uerbis lateat, aut sit reali præsentia, sed continetur per significationē. Et ista collatio sermonū diuinorum ad sacramenta, admodum congruit, nam ex Augustini sententia, sacramenta sunt uerba uisibilia. Ex hac itaq; responsione habes, quid intelligam per sacramentum. CHEAD. Ita res quælibet, signū esse poterit corporis Christi. MAR. Quia non omnia dominus ad hoc instituit, neq; omnia uerbum dei habent, quod in sacramentis est pars potissima, ideo non omnia dici possunt signa corporis Christi, ut modo nos accipimus uera & efficacia sacramenta. CHEAD. Augustinus de Trinit. lib. 3. capit. 4. in mea est sententia. Nam cum loquitur de Eucharistia inquit: Non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante inuisibiliter spiritu dei. Ecce hic habes spiritum sanctum, et opus Dei requiri ad efficiendum sacramentum. Sed ad hoc ut tantum significatio inducatur, non opus esset tot rebus. MART. Miror te illum locum Augustini citare, cum ibi potissimum contra te faciat. Videamus quænam illic habeantur. Apostolus Paulus potuit significando prędicare dominum nostrū Iesum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramentum corporis et sanguinis eius. Hic audis dominum Iesum Christū, per sacramen-

Quid sit sacramētū

Simile.

Quodlibet nō potest esse signū corporis Christi ut sit eius sacramentum.

Locus Augustini de trinitate.

tum corporis et sanguinis eius, significari, quod nũc oppugnare niteris. Sed pergamus: Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos linguę æditos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mystica consecratum rite sumimus. Hic quoq; audis corpus Domini appellari, id quod acceptũ est ex frugibus terræ. Vnde sequitur ibi manere panem, nisi uelis dicere terram fructificare accidentia. Et quod obijcis, necessariam esse operam Dei & spiritum sanctum, ad hoc ut sacramentum fiat, assentior: sed significationem corporis Christi rem non esse tantam, ut his opus habeat, nego. Iam sępius audiuisti, nos hic non ponere vulgarem & quamuis significationem, sed sacramentalem, potentem & efficacem, qua credentes Christo incorporantur. CHEAD. Cæterum panis per substantiam suam alit, ideo corpus Christi significare potest ante consecrationem, & ante eandem collectus est, & constat ex multis granis, ideo significare potest unionem ecclesię. Sed tamen sententia Augustini non est, propter significationem aliquid dici corpus & sanguinem Christi, sed illud tantum quod ex fructibus terræ acceptũ, et prece mystica cõsecratum, sumimus ad salutem. Necq; uult panẽ accęptũ è frugibus terrę ita manere, sed ut dicit Ambros. quod natura fecit, benedictiõe mutatur. MAR. Quoad primum, non aliter sane possis de aqua dicere, quod ubicũq; sit, etiã extra baptismũ, significet ablutionẽ animi: nũ propterea sequitur, sacramẽta lẽ esse eã significationẽ, cũ uerbũ dñi absit, nec instituta

Dominus Iesus per sacramẽtũ corporis & sanguinis eius significatur

Quod acceptũ est ex frugibus terræ corpus Christi dicitur.

tutum Christi in ea exerceatur? Loquimur hic nos, ut iam sępe diximus, de potenti & efficaci significatione sacramentorũ, quam adipiscũtur ex uerbo & institutio Dei. Quoad alterum, apertissime dixit Aug. per illa tria, scilicet linguam, membranas, id est scripta, atq; per sacramẽtum, significari corpus Christi, deinde sequitur quod dicis, ut ad salutem sumatur. Et de mutatione, id est abiectione substãtię eius, qđ è fructibus terræ colligitur, nulla fit mentio: quomodo intelligendus sit Ambrosius superius, declaraui. CHE Chrysost. Hom. 45. super Ioh. in ca. 5. ita scribit: Hic sanguis effusus, uniuersũ abluit orbem terrarũ. de quo multa Paulus ad Heb. prosequutus est. Hic sanguis abdita, & sancta sanctorum purgabat. Quod si eius figura tantam habuit uim in templo Hębreorũ, in medio Ægypto, liminibus aspersus, longe magis ueritas. Hic sanguis aureum altare signauit, sine hoc princeps sacerdotum in penetralia ingredi nõ audebat: hic sanguis sacerdotes faciebat, hic sanguis in figura peccata purgabat: In qua si tantam habuit uim, si umbram ita mors horruit, quantopere quæso ipsam formidabit ueritatem? &c. Confert sacramenta ueteris Testamenti, cum sacramentis Noui testamẽti, quasi umbram & figuram, cum ueritate, nostraq; mysteria admiranda, atq; horrenda uocat. Si itaq;, ut dicit, ueteres habuerunt umbras, & nos ueritatem, consequitur in sacramẽto Eucharistię uerũ Christi corp⁹ adesse, alioquin, si tãtum significatiõe illic ipsũ haberemus, nihil plus tribuendum esset sacramentis nostris, quã sacramentis antiquæ legis. MART. Quod Chrysost. dicit, Veterum sacramenta collata ad nostra, umbras

umbras esse & figuras, recipio. Sed ita accipiendum est, umbras & figuras ibi fuisse, quia Christi aduentus adhuc expectabat. Deinde significationes illorum sacramentorũ obscuriores erãt, quod utrumq; conuenit figuris et umbris: nam figuræ præluserunt Christo uenturo, & umbræ copia lucis carent. His modis in sacramentis ueterum significabatur Christus, & credentibus exhibebatur fide percipiendus. Nobis uero nunc offertur in nouis sacramentis, ut qui iam uenerit, promissa persoluerit, & pro nobis reipsa fuit crucifixus. Deinde uerba quæ habemus in sacramentis nostris, longe sunt clariora ac lucidiora, quam fuerint uerba antiquorum sacramentorum in lege. Sed tu accipis ueritatẽ, quasi significet realem præsentiam, ideo infers nobis corporaliter & substãtialiter adesse corpus Christi: at ueritatem patres intelligunt in nostris sacramentis collatis ad uetera, eo quod repræsentent rem iam præstitam, scilicet apertum regnum cœlorum, et benefitium redemptionis nostræ, summa claritate et certitudine iam peractum atq; perfectum, & collatum in nos, ueluti ob oculos fidei ponunt.

CHEAD. Attamen æque uera erant sacramenta patrum atq; nostra, eadem uis erat in illis, quæ est in nostris, illi tam bene credebant Christum uenturum, quam nos uenisse. Nam teste Paulo, Patres nostri omnes biberunt ex eadem petra spiritualem potum, & manducauerunt eundem cibum spiritualem. MAR. Veteres patres habuisse quo ad rem, eadem sacramenta nobiscum, quæ erãt signa Christi uenturi, & eum credentibus offerebant, uerum est, sed discrimen fuit (uti dicebã) quod iam Christus

ſtus re ipſa perſoluit noſtræ ſalutis precium, tum uero erat perſoluturus. Et res iam facta, ſi conferatur ſibi ipſi faciendæ, & ſolidior eſt, & ueritas dici poteſt, V mbram uero & figuram habere dicitur, cum nondum eſt præſtita. Deinde quod uerbis planioribus & euidentioribus Chriſtus & mors eius nobis exprimatur, nemini dubium eſt. Ex his colligenos cũ ueteribus (ut Paulus atteſtatur) habere quoad rem, eadem ſacramenta, ſed eſſe diſcrimina complura, et inter ea, quod attinet ad rem præſentem, illa quæ recenſui. CHE. Sacramenta patrum promittebant gratiam, noſtra uero dant, quæ in tuis lectionibus tu interpretabaris, datam gratiam ſignificant Igitur ſi illa ſignificabant dandam, & noſtra ſignificant datam, vtrinq; par eſt ſignificatio, & noſtra ſacramenta nihil plus habebunt, quam ueterum habuerint. Et contra id quod aſſeris, Antiquorum ſacramenta fuiſſe obſcuriora, probabo ea habuiſſe euidentiorem ſignificationem. Sanguis enim agni immolati apertius repræſentabat corpus & mortem Chriſti, quam panis & uinum, ſi modo ibi ſit panis & uinum. MAR. Reſpondeo ad ſingula ordine, Affirmo quod mihi obijcis, ſacramenta ueteris legis, ſignificaſſe gratiam dandam, noſtra uero, iam datam, et exhibitam, ſcilicet Chriſtum iam incarnatum & paſſum. Et dum prælegerem, ĩter alia multa, quæ de hac re diſſerui, memini me & hoc dixiſſe, quia neutra ſacramenta, tã uidelicet noſtra, quã antiqua, concedere uolui, per ſeſe conferre gratiam. Nam quicquid habemus gratię, id per fidem obtinemus, & non (ut uos fingitis & dicitis) ex opere operato. Nec; propterea, ſacramenta reddimus contẽp

tibilia, quando ea constituimus, dum rite sumuntur, adiuuare, confirmare, & augere fidem qua iustificamur. Etenim spiritus sanctus, ut uerbis Dei & scripturis utitur, tanquam instrumentis ad nos immutandos & seruandos, ita etiam utitur sacramentis. Habes igitur quomodo acceperim legalia sacramenta significasse dandã gratiam, & nostra significare iam datam. Quibus adiungas, sacramentis nostris magis iuuari fidẽ quam ueteribus: Partim, quia uerba sunt clariora, & nostrũ bonum, id est redemptio per Christum, in his proponitur nobis euidentius, & cum fides per uerbum habeatur, quo uerbum est euidentius, fides excitatur uehementior, eoq; magis rem significatam apprehendit: partim, quia uberiorem spiritum per sacramenta nostra concedi, quam per sacramenta ueterum datus fuerit, facile assentior. Et illud in concussum manet, quod antea commemorabam, rem prestandam, collatam iam præstitæ, & umbram & figuram dici posse. Deinde quod instas, agni & mactationem ultimarum, clarius repræsentasse Christum & eius mortem, Respondeo: Euidentiam & claritatem sacramentorum, precipue spectandam esse in uerbis: Etenim si cõferas uerba symbolis, verba sunt eorũ anima, & patribus priscis non exhibebãtur tam expressa & apta eloquia de Chro, et morte eius, quam hodie in sacramẽtis nostris habentur. Dicitur: Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur, et, Hic est sanguis meus, qui pro uobis effũdetur, in remissionem peccatorum. quid his uerbis aut planius aut apertius dici potest? CHE. Vbi est abundantior fides, ibi est sacramentum præstantius. Fides autem

Abrahami

Abrahami maior fuit quam nostra sit, igitur sacramentum habuit prestantius: Et ita sequeretur, ueterum sacramenta, fuisse nostris potiora. MAR. Prima propositio quam assumis, non est omnino uera. Neq; est necessarium, ut ubi est abundantior fides, sit prestantius sacramentum: Nã Abrahamus & credidit et iustificatus est, antequã haberet sacramentũ circumcisionis, potest enim fides, imo debet haberi ante perceptionem sacramentorum. Cõcessimus quidem eam per illa adiuuari & confirmari, non tamen quod per ea tantum daretur. Si dixisses illa sacramenta debere præstantiora existimari, per quæ in credentibus magis confirmaretur, & augeretur fides, uerum dixisses, at postea quod subdis de Abrahamo, non esset ad propositum, nisi demonstrasses eum suam fidem habuisse per sacramẽtum, quod nõ est uerum. Deinde quod adiecisti Abrahamum habuisse maiorem fidem quam nostra sit, non esset recte positum, quia ut concluderes quod uolebas, ponendum fuerat, Abrahami fidem maiorem fuisse ea, quę in nouo testamento habetur, & tunc assumeres dubium. Quid enim nosti, Paulũ, Petrum, multos Apostolos, & martyers, nõ æquasse Abrahami fidem? Igitur cũ maior tum minor propositio tui syllogismi patitur instantias, & plus accipis in conclusione, quam in toto antecedenti reperiatur.

Hic Domini Visitatores finem imposuerunt disputationibus, cum esset iam audita undecima hora. Et D. Doctor Richardus Coxus Regius Legatus, et Oxoniensis Academiæ Cancellarius, hanc habuit Orationem.



IRI OXONIENSES per-ægimus quattuor dimidiatos dies in excutiendis duabus quæstionibus, de trāsubstantiatione scilicet, et reali præsentia corporis Christi in sacramento. Magno fuit nobis oblectamēto hæc disputatio, atq; utinam per tempus licuisset, omnia quę hic dici possent audiuisse. Quod optabamus, id successit: vt quieta esset disputatio. Auditores ita etiam sedati, spero ueritatis imbibendę auidi: Qui fabulam peragebāt, et utrinq; disserebant, suo officio diligentissime perfuncti sunt, nec meritis laudibus fraudandi. Viri nostri, hoc est Angli et Oxoniēses, præterq; quod conscientiæ suæ negotium egerunt, etiam haud minimum decus huic Academiæ attulerūt, quod in tāta causa, non subterfugerint, quo minus palam testarētur, pro eruditionis suę modulo, et dono à Dei benignitate sibi impartito, et quid animi in hisce controuersijs haberent, et quibus rationibus & authoritatibus huc perpellerētur: pulcherimè sanè, sibi datam prouintiam, obierunt. Cæteri uero docti

et

et boni uiri, qui in ijs tantis rebus tacuerunt, nescio quo pacto, suo silentio negationis notam sibi inusserunt. Petrus autem, et merito Petrus, propter cõstantiæ suę firmitatem: Martyr, & merito Martyr, propter innumera quæ nunc̃ non profert de ueritate testimonia, multam apud nos, et apud pios omnes inire debet hoc tempore gratiam. Primũ, q̃ immensos labores exantlarit, in sustinendo disputationum onere. Nam si ille Hercules quidem contra duos, quid Petrus solus contra quoscũc̃? Deinde, quod disputationem instituerit, uanos uanorũ hominum sermones repressit, qui de eo inuidiosa atc̃ odiosa sparserant, nimirũ aut nolle, aut non audere sua defendere. Postremo, quod summorũ magistratuũ atc̃ adeo Regiæ maiestatis expectationi optime responderit, dum non solum Christi doctrinã, ex ipsis uiuis fõtibus Dei propinauerit Academiæ, sed nec̃ quemc̃ (quantum in ipso situ fuit) fontes aut turbare, aut obstruere permiserit. Auscultauimus nós hanc Christianam uelitationem, quæ ueritatis indagandæ, atc̃ inuestigandæ causa, est suscepta. Qui quidem status, in omni disputatione, tanc̃ unicus scopus, ad quem omnes collimẽt, perpetuus esse debet. Hanc scrutari oportet omnes, quibus sincera religio cordi est. Quid enim aliud uult: Scrutamini scripturas? nisi, è scripturis ueritatem indagatæ? Cæterum de hisce controuersijs sententiam ferre, et litem prorsus dirimere, modo non decreuimus. Tum autem decernetur, cum Regiæ Maiestati, et ecclesiæ Anglicanæ proceribus uisum fuerit. Quod si ego, quem uestrum Cancellarium pro uestra humanitate adlegistis, aliam nunc personam

nõ gererẽ (Aliam enim Regia authoritas ſam mihi impoſuit) optatiſsime uellẽ in his ꝓpoſitionibus fidei meę rationẽ reddere. Nõ enim me pudet euãgeliį Chri, neq; ueritatis, quę ex uerbo eius oĩbus lucet, qđ quidẽ alias, cũ dabitur oportunitas, facere nõ detrectabo. Interea uero uos peregrinos et alienigenas, ſi qui ſunt modo, exhortor, ut domũ ueſtrã reuertamini. Nolite perpetuo peregrinari in Patribus et Cõcilijs, tãq; in patria ueſtra. Nolite exiſtimare illa eſſe ueſtra principia Nolite hallucinari in ꝓbabilibus humanę ſapiẽtię uerbis. Quęnã prĩcipia habuerũt patres? Quę cõcilia? Quã turpiter in multis lapſi ſunt ꝓatres? q̃ tędę errarũt cõcilia? Errorũ hic nolo meminiſſe, nolo hãc mouere camarinã. Et tñ pres atq; cõcilia debẽt eſſe prĩcipia diſputationũ? Fuerũt ãtehac hęretici, q negarũt, uel partẽ uel totã ſcripturã. Sũt et hodie Libertini, q eadẽ ĩſania laborant, ij nra chriſtianorũ principia negant et conculcãt Qui uerbũ Dei in altiſsima ſpecula conſtituũt, et in ſũma ueneratione habẽt, hincq; tantũ uitã et ſalutẽ petunt, principia tenẽt firmiſsima, ſolidiſsima, atq; ſanctiſsima. Interim tamẽ, Eccleſię et piorũ patrũ ſaluberrima teſtimonia non reijciũt, imò amplectuntur et uenerantur, tanq; radios ſpiritus ſancti, caliginẽ oculorũ noſtrorũ aliquo pacto illuſtrãtes. Quare obſecro per ueſtrã ſalutẽ et ꝑ Dei miſericordiã, tã iuuenes q̃ ſenes, ut duo pręſtare uelitis: Prius ut nũc demũ ponatis illas cõtrouerſias, quę eccleſiã Chriſti multis ſæculis inutili cõcertatione turbarũt et dilacerarunt, de tranſubſtãtiatione, et neſcio qua carnali pra ſentia. Nullus eſt rixandi finis. hæ ſunt diaboli pedicę, quibus nos perpetuo inuoluit, & à

uera

uera pietate remorat̃. Nos uero, uti pios decet christianos, illud imprimis, imò in uniuersũ ſpectemus quid Christus fecerit, quid nobis: faciẽdũ pręcepit. Cogitemus ſacroſancta & tremẽda illa Chriſti myſteria eſſe, illa ſubide ad ſalutẽ noſtrã uſurpemus, ad illa cũ timore et tremore accedamus, ne unq̃ ĩdigne ueniamus, et ad iuditiũ & cõdemnationẽ noſtri accipiamus. Alterũ eſt, ut ad uerbi dei ſtudiũ cõtẽdatis: Ad hunc ſcopũ oĩa uer[illegible] tela dirigatis, huc omnia ſtudia referatis, ſiue dialectica, ſiue philoſophica, ſiue mathematica, ſiue [illegible]nes medicas, ſiue quæcũq̃ alia, huic tanq̃ reginæ, ancillentur. Hinc omnẽ fidẽ petite, hĩc religio ſtabiliatur atq̃ ſolidetur. Cœlũ et terra tranſibũt, Verbũ autem DOMINI manet in æternum. Hoc tanq̃ Lydio lapide, omnes controuerſię examinẽtur atq̃ definiãtur. Porro vnũ eſt, qđ uos oẽs admonere debem⁹, nimirũ, ut ualedicto uniuerſis nugis papiſticis, ſupſtitiõibus et ſimulato Dei cultui, ueritati diſqrẽdę diligẽtẽ operã detis, aut ſaltẽ, ne ĩpedimẽto ſitis, quo minus ueritatis ſtudioſi, in negotio pietatis, pgrediãtur. Scimus enĩ, et cõptũ habemus, nõ nullos nimis eſſe inquietos, et turbidos, et prępoſtero zelo ĩcitatos, ad remorãdũ ueritatis, pgreſſũ. Scimus aliq̃s patris ſui exẽplũ pnitioſe ſequi, dũ diſcordiarũ ſemina paſsim ſpargũt, mẽdacia fingũt. Scimus falſos et odioſos rumores circũferri. Scimus hoĩes uanos maledictis agere, cũ non poſsĩt ueris, pmouere cauſã ſuã, ita irritabilis eſt mala cõſuetudo, cõtra ueritatẽ. Verũ ut finẽ faciam: Si ullo ueritatis amore afficimini, ſedatis animis, illam exquirite, ardẽtibus precibus à Deo Optimo Maximo illam poſtulatę, amica et candida collatione illam

lã eruite, ferueat in vobis Christiana charitas, Infirmum in fide, assumite. Debent enim inquit Paulus, firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non sibi placere, unusquisq; proximo suo placeat in bonam ædificationem. Cauete Satanæ technas, qui uobis insidiatur ne acquiescatis sermonibus domini nostri Iesu Christi, ut deliretis circa quæstiones & pugnas uerborum, ex quibus oriuntur Inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malę &c. Possumus ex authoritate uobis imperare, & peruicacibus meritum supplicium comminari, malumus tamen pro dilectione nostra erga uos, rogare, & exhortari. Quare si qua consolatio in Christo, si quod solatium dilectionis, si qua societas spiritus, si qua uiscera miserationis, implete gaudium nostrum, Gaudium nostrum est, quod uidemus multos in hac Academia in bonis literis et pietate insigniter adolescere. Gaudium nostrum est quod uidemus uos adeo modestos et ad imperium paratos. Implete ergo gaudium nostrũ, hoc est, ueritatẽ multis iam sæculis, ueluti in specu Trophonij delitescentem, eruite, Veritatem adeptam, sincera fide excipite, exceptam autem probis moribus exornate. Sic lucebit lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent Patrem uestrum qui est in Cœlis. Cui omnis gloria in sæcula. AMEN.

DIXI.

THE ENI


TITLE Tractatio
eucharc

AUTHOR Vermigl


LIBRARY Boo

LIBRARY REF. NO. Arch

ORDER NO. 10197



UNIVE
ANN AR



D OF

Sacramento
istiae.
gli. P.M. DATE 1549
dleian.
ch. Bodl. A. II. 19.
7. S.T.C. NO. 24673.

VERSITY MICROFILMS
ARBOR MICHIGAN

